

MAGYAR FERENCES
KÖNYVTÁR



01200350

Residentie Amontornensis

STATUTA
CONSTITUTIONES
ET
DECRETA PROVINCIAE
S. MARIAE
HUNGARIAE
ORDINIS MINORUM
STRICTIORIS OBSERVANTIAE

In Capitulo Provinciali Posonii ad
D. Virginem annuntiatam die 18. Junii Ann^o
1730. ritè & Canonicè celebrato, examinata, cor-
recta, & demum ab omnibus Provinciæ Patribus Dif-
finitoribus, & Quardianis legitimè convocatis, ap-
probata, & propria singulorum manus subscri-
ptione totius Provinciæ nomine unani-
miter acceptata.

*Ad quod pervenimus ut idem Sapiamus, & in eadem
permaneamus Regula. Ad Philip: 3. v. 16.*

THE
COMMISSIONERS
OF THE
S. M. A. R. I. E.
H. I. N. G. A. R. I. E.
C. A. D. A. M. A. S. M. A. R. I. E.
S. P. E. C. I. A. L. I. S. T. A. T. I. O. N. E.
O. F. T. H. E. P. R. O. P. R. I. E. T. Y.
O. F. T. H. E. S. T. A. T. E.
O. F. T. H. E. S. O. U. T. H. E. R. N.
P. A. R. T. O. F. T. H. E. I. N. D. I. A. N.
I. S. L. A. N. D. S. A. N. D;
T. H. E. S. E. A. R. E. A. S.
O. F. T. H. E. S. T. A. T. E.
O. F. T. H. E. S. O. U. T. H. E. R. N.
P. A. R. T. O. F. T. H. E. I. N. D. I. A. N.
I. S. L. A. N. D. S. A. N. D;
T. H. E. S. E. A. R. E. A. S.





In Nomine Domini Amen.

INCIPIUNT STATUTA, CONSTITUTIONES, ET DECRETA

*Provinciae Beatissimæ & Immaculatæ
SEMPER VIRGINIS*


M A R I Æ

In Regno Hungariæ Ordinis Minorum
Strictioris Observantiæ.

*De pura Regula Observantia, & Salutari
Obedientia.*

CAPITULUM PRIMUM.

§. I.

1.  Eligio nostra Seraphica, cùm sit Sancta & immaculata (ut eam commendare dignatus est summus Pontifex Leo X.) in qua per speculum sinè macula contemplatur Redemptoris Præsentiæ, vitæ Christi, & Apostolorum inspicitur forma; per quam Piorum Ecclesiæ fundatorum ante oculos Christianæ plebis reducitur norma: quæ nihil nisi Divinum, & Angelicum omni perfectione refertum, nihil, nisi Christo conforme (ut non immeritò Seraphica, & Sancta dicatur) repræsented. Hæc inquam nostra religio, etsi à quibusdam conventibus & fratribus quædam privilegia olim in

eam fuerint introducta, nullum tamen Sanctissimæ Regulæ Nostræ relaxativum unquam universaliter in toto sui corpore recepit, & nunc præsertim talibus gaudere nullo modo potest, posteaquam felicitis recordationis Sanctissimus Dominus Noster Urbanus VIII. quascumquæ concessiones, seu indulta, tam per litteras Apostolicas, & motu proprio, quàm vivæ vocis oraculo, & aliàs quomodolibet concessa, eidem regulæ quomodolibet contraria penitus abrogavit. Hinc juxta Sanctissimæ Regulæ nostræ litteram à Sanctissimis Dominis Nostris Nicolao III. & Clemente V. Summis Pontificibus declaratam omnes Patres & Fratres, ut vivant, oportet, præsertim in hac nostra Provincia Beatissimæ Virginis MARIÆ Hungariæ Strictiorem Observantiam profitente.

II. Ordinamus proinde, ut prædictæ ordinationes Nicolai III. & Clementis V. bis in anno, & speciatim tempore quadragesimali, & nostri Regularis jejunii in publico refectorio simul cum his Statutis ad Mensam legantur.

De Obedientia.

§. II.

I. **O**bedientia, quam insignis Christi Sectator, & fidelis Servus Beatus Pater Noster Sanctus Franciscus sibi & suæ regulæ Professoribus perpetuò servandam elegit, nobis necessaria est ad Salutem. Ideo omnes fratres (ut dignum & justum est) reverentiam exhibeant, honorem, humilem obedientiam, & firmissimam fidelitatem, Sanctissimo Domino Nostro Papæ, & Sacrosanctæ sedi Apostolicæ) prout in principio, medio, & fine Regulæ obligamur) cæterisque Prælati & Sacerdotibus, ut fuit intentio dicti Patris Nostri, qui Presbyteros monuit præ cunctis revereri.

2. Statuimus insuper, ut omnes & singuli Fratres, cujuscumquæ nationis, Gentis, vel Patriæ existentes in hac Provincia, nostris Prælati, Eminentissimo Cardinali Protectori, ~~_____~~, atquæ Provinciali Ministro, Guardianis, aliisque Superioribus localibus, non obstante quocumquæ Privilegio, vel indulto, quomodocumquæ, & qualitercumquæ concessio obedire teneantur.

3. Proinde monemus omnes in Christo dilectissimos Fratres, ut propriam voluntatem, tanquam venenum Religiosorum detestantes superiorum judicio libenter & promptè acquiescant, cum indubiè verum sit illud : Non est obediens, qui obediendo proprium sequitur judicium.

4. In omnibus obedientiis quæ fratribus ex necessitate conceduntur, tam studii, quàm cujuscumquè negotii conficiendi causâ, tempus ubiquè assignetur, quò elapsò sit fratri redeundum ad suum Conventum.

5. Litteras patentes fratrum pro familia advenientium superiores locorum asservent, Hospitum etiam obedientiales usquè ad eorum discessum retineant, & in certo libro describi faciant.

6. Nulli è Conventu egredi liceat, nisi ex causa rationabili, & cum socio, licentiâ singulis vicibus impetratâ, ac Benedictione à superiore obtentâ. Superior quoquè exituro terminum redeundi præfigat, sociumquè adjungat, non petentis rogatu, sed arbitrio suo secundum statuta ~~Conventus~~, nequè eundem sæpius. Licentiæ verò Generales nulli prorsus concedantur.

7. Cùm quis ad Conventum revertitur, iterum pro Benedictione adibit superiorem, qui à socio rationem itineris, & quid rei actum sit, diligenter requirat.

8. Declaramus præterea, quod qui superiorum concessu, ad aliquem locum proficiscens aliò, vel aliâ viâ vadit, quàm sibi per facultatem licebat: quiquè tempus ex facultate sibi præscriptum notabiliter absquè rationabili causa exceßerit, in Apostasiæ notam & pœnam incurrat, levem vel gravem, prout plùs, minùsvè judicio superioris à viâ recta declinaverit.

9. Præcipitur Superioribus Localibus, ut si aliquis suorum subditorum per Apostasiam aufugerit, eum statim in refectioe proximè sequenti publicè excommunicatum declarent, & de hoc statim Patrem Provincialem admoneant.

Deiis, qui volunt vitam istam accipere, & qualiter recipi debeant.

CAPITULUM SECUNDUM.

§. I.

De Novitiis.

1. **O**Rdinamus ne quispiam Guardianorum audeat quemquam Sacro Religionis Nostræ habitu suâ autoritate induere, & ad Ordinem recipere; sed talis receptio fiat à Patre Ministro Provinciali, utpote cui secundum Sacræ Regulæ nostræ præscriptum, id competere

dignoscitur. Is tamen diligens examen circa quemlibet suscipiendorum præmittere, & quod statuta Ordinis hac in parte disponunt, integrè servare tenebitur. Ideoque nullus deinceps recipiatur, nisi cum testimonialibus morum & doctrinæ, nequè extra Capitula & Congregationes sine interventu Patrum Provinciæ & Diffinitorii, idquè fiat bis per annum in Congregationibus diffinitorialibus.

2. Nullus recipiatur ad Ordinem, nisi ornatus sit conditionibus à Sixto V. requisitis: sit legitimò matrimoniò natus, non comiserit homicidium: à nullo loco proscriptus: non sit adstrictus debitis facultates ejus excedentibus: non obligatus ad reddendam rationem alicujus administrationis: nequè descendat infra quartam generationem ab Hebræis aut infidelibus, seu ab Hæreticis, quorum corpora, vel statua combustæ sunt: de nullo errore circa fidem suspectus; Matrimoniò non ligatus: mente & corpore sanus: infamiâ publicâ non notatus: sit ætatis annorum quindecim completorum: Satîs literatus, si Clericus futurus sit: Sacramentò confirmationis munitus, vel saltem tempore Novitiatus illud suscepturus.

3. Easdem conditiones habeat pro Laico recipiendus, exceptò Literarum studiò, cujus loco sit peritus alicujus artis Mæchanicæ Religioni utilis, & insuper habeat ætatis annos non infra viginti, nec supra triginta, nisi ejus receptio esset singulariter ædificatoria, & Religioni proficua. Hi autem recipiendi, antequam incapucentur, tertiariatum subeant duobus annis completis, in quo nec Pater Minister Provincialis dispensare audeat.

4. Nullus Laicorum ad Clericatum promoveri possit, sinè dispensatione Patris ~~Ordinis~~, & hoc ex consensu & recomendatione Patrum Diffinitorum & Provincialium ~~Ordinis~~.

5. Nullus recipiatur alterius Religionis Professus, nisi suorum superiorum licentiam, & congruum de vita & moribus testimonium exhibeat, & Novitiatum more nobis consuerum sustineat. Quod etiam de Patribus Capucinis intelligendum est, si quempiam illorum ad nos autoritate Apostolica transire contigerit. Novitius autem ex aliquo Ordine, sive nostro, sive alterius Religionis expulsus gravi de causa nullo unquam tempore à quocumquè superiore recipi possit.

6. Ne Religio interdum gravetur, Novitius quilibet separatim quarto quolibet Novitiatus sui mense fratribus Capitulariter Congregatis proponatur. Primâ & secundâ vice, quid singuli de Novitio sentiant, palam pro eorum conscientia pronuncient, & habilem, vel inhabi-

habilem indicent (& hæc suffragia superior ipsemet in charta notet) quod si Novitius primâ vice à majori parte idoneus non fuerit iudicatus, de hoc admonetur Pater Provincialis, qui eum ex ordine dimitti mandabit, nisi causæ urgentissimæ aliud suaserint. Si pro secundâ vice à majori parte suffragiorum fuerit reprobatus, absquè recursu & mora religionis habitu privetur. Tertia verò vice per Secretum Scrutinium, sive Balotationem suffragia quærantur. Quòd si suffragiorum Secretorum tertia pars novitio defuerit, ad Professionem non admittatur, sed receptio illius tam diu differatur, quoad Pater Provincialis admonitus, quid sentiat agendum declaraverit. Quod si major pars eidem suffragata non fuerit, sine declaratione expellatur. Nullus autem fratrum pro Novitii professione suffragium ferre possit, qui non annum religionis unum à sua professione expleverit, & saltem duobus mensibus Novitio convixerit.

7. In Capitulis seu congregationibus à Patre Provinciali, cum Consilio, & assensu totius Diffinitorii assignetur Novitiis maturus, & discretus, nec non devotus Magister, qui, illis diligenti cura invigilet, & in omnibus exercitiis assistat; singulis septimanis Confessionem eorum Sacramentalem excipiat, eosquè JESU Christi mortificationem in corpore suo circumferre, orare semper ad DEUM puro corde & humilitate, & Cæremonias religionis juxta Cæremoniale Seraphicum, & Sancti Bonaventuræ Speculum edoceat; Unde etiam eos mortificare, & pænitentiis afficere possit, non tamen publicè, & præsentè Guardiano, nisi is præmonitus assensum præbeat. Novitii proindè probationis suæ tempore non possint studiis literarum incumbere, nec ad Sacros ordines promoveri, nec Confessionem pænitentium excipere, etiam si in Sæculo Confessarii fuerint. Magister verò Novitiorum non possit sinè urgenti causa extra Capitulum vel Congregationem mutari, nisi consilio & consensu totius Diffinitorii; si quis autem sinè causa Venerabili Diffinitorio probanda, hoc Magistri officium recusaverit, sit voce activa & passiva per sexennium privatus.

8. Novitiis non liceat loqui sæcularibus, etiam propinquis, nec religiosis; sive nostris, sive alterius Ordinis, nisi necessariam ob causam Guardiano, vel Magistro probatam, quorum alter loquenti semper assistat. Nec liceat Novitio Professi, vel Professo Novitii cellam ingredi, quod si id clausò vel obserato ostio contingat Novitium, si ter admonitus fuerit, & se emendare noluerit (cum præscitu tamen Superioris

oris Majoris) à Religione expelli; Professum autem in domo disciplinæ ad triduum includi volumus, pane & aqua Castigandum, si similiter ter admonitus se emendare noluerit.

9. Caveant superiores, ne Novitium aliquem extra Conventum dimittant, nisi ex causa publica, videlicet ad Processiones & similia, vel alia urgente, idquæ rarissimè, & cum socio maturo & gravi.

10. Novitii singulis diebus non festivis culpam publicè dicant, ter in septimana disciplinam faciant; iisdemquæ Clericis maximè Professionem emittere non liceat, nisi doctrinam Christianam, sive Catechismum in compendio, & Regulam, ejusquæ præcepta, tam æquipolentia, quàm præcepti vim habentia coram fratribus Capitulariter congregatis memoriter antè recitaverint: Item Divinum officium per se ordinare, ac rectè recitare noverint; Lajci verò, qui legere nesciunt, saltem doctrinam Christianam una cum Regulæ præceptis & ipsi omnino ut supra recitent.

11. Tempore quo Novitii induuntur, vel ad Professionem admittuntur, non fiant convivia, multò minùs ipsi à Parentibus, vel Consanguineis aliquid petant, vel expensas notabiles fieri permittant; si tamen aliquid ex charitate nobis sponte offertur, pro Eleemosyna, & non aliter recipiatur. Parens etiam, aut Cognatus Novitii ad Refectorium admitti poterit.

12. Nemini autem licebit absquæ Patris Ministri Provincialis facultate Novitium habitu privare, nequæ ipsemet Pater Provincialis hoc possit absquæ rationabili causa. Novitius verò sponte sua vestimenta repetens, & moræ impatiens, à Patre Guardiano de discretorum consilio dimitti possit, reversalibus datis ab eodem Novitio.

13. Nullus frater se ingerat in distribuendis bonis Novitiorum, sed in hoc observentur Declarationes Clementis V. sub pænis privationis officii, si sit superior, & proprietarii, si sit subditus. Ut etiam plurimis inconvenientiis hætenus exortis viam præcludamus, strictè & sub pæna carceris præcipimus, ut nullus frater audeat à Novitio quidquam accipere, sibi legatum, aut deputatum, quidquid illud fuerit; utquæ Magister, Novitium hujus nostri Decteti & statuti admoneat, sub gravis pænæ reatu mandamus. Nec Novitius pro se ipso quidpiam in futurum deputare possit, præter ea, quibus pro una vice tantum juxta regulam nostram indigerit.

14. Inanis etiam & vacua prorsus esset omnis diligentia, quæ in approbandis Novitiis adhibetur, nisi Conventus aliquis à Sæcularium con-

concurſu, & converſatione quantum fieri poteſt remotus determinetur. Mandamus itaque, ut in Capitulis Provincialibus conventus tres juxta Bullam Alternativæ: *Exponi nobis nuper*: communi Patrum conſilio & conſenſu deligant pro educandis Novitiis.

15. Superior Localis in libro ad id deputato, & in Archivio Conventus ſervando diligenter ſcribat, & notet receptionis diem, nomen & cognomen, Parentes, Patriam, & ætatem Novitii, qui etiam propria manu penes ipſum Superiorem & Novitiorum Magiſtrum, cum uno vel duobus discretis ſe ſubſcribat.

16. Proteſtetur etiam ſæpiùs ſuperior coram Novitiis totius Religionis nomine, quod ſi conditiones ſupra poſitas, & à ſummis Pontificibus requiſitas ſibi falſò aſſervaffent, aut morbum, ſive gallicum, ſive caducum, aut aliquam contagioſam infirmitatem non manifeſtaſſent, Religio ſe ipſis non obliget, & tam pro nunc, quàm pro ſemper ex parte ſua profeſſionem illam nullam declaret, reſervando ſibi libertatem eos expellendi, quando placuerit, etiam ſi quinquennium poſt Profeſſionem fuiſſet elapſum: E contra verò talis reſervatio profeſſos ipſos non juvet, quia quantum eſt ex parte ipſorum Religionis ſunt, & manent obligati.

De Fratribus Profeſſis junioribus.

§. II-

1. **F**RATRES Clerici poſt emiſſam Profeſſionem (niſi Pater Provincialis aliter diſpoſuerit) ſubſint omnibus mortificationibus, & diſciplinæ regularis exercitiis, ſicut in Novitiatu fuerant (exceptis tamen Sacerdotibus, quos ob reverentiam Sacerdotalis dignitatis rogamus, ut & ipſi in hujusmodi Spiritualibus exercitiis ſe exerceant) quapropter fratres Clerici durante hoc tempore non poſſint gaudere ullis privilegiis, & exemptionibus; ideòque nec ad ſtudia applicari, niſi forſan dialecticæ, ſed illud totum impendant in reformandis perfectè moribus ſæculi, addiſcendo cantu noſtro choralis, Rubricis Miſſalis & Breviarii, Cæremoniis Eccleſiaſticis, ſanctiſſimæ regulæ noſtræ declarationibus ſive expoſitionibus, integrè percipiendis, ac virtutibus acquirendis; ſiquidem hæc omnia in uno Novitiatûs anno non poſſe condignè perfici compertum habemus.

2. Fratres item Clerici Studentes, durante tempore Clericatûs, ſicut etiam Laici uſquè ad quinquennium in Religione completum (in quo nec Pater Provincialis diſpensare poſſit) ſubſint curæ Magiſtri proprii, eiquè circa mores obedire teneantur. Munus autem Magiſtri erit,

eorum Confessionem Sacramentalē in qualibet hebdomada semel vel bis excipere : Lectionem Spiritualem præsertim circa speculum disciplinæ S. Bonaventuræ ipsis facere , ac bonis moribus instruere , eorum Cellas sæpiùs visitare , & denique ipsos veros filios tanti Patris verbò & exemplò efficere. Singulariter etiam ac Stricteffimè præfatis Magistris mandamus , ut omni die Dominico & festo , si tempore matutino fieri non potest , indispensabiliter hora 3. pomeridiana Scholam Spiritualem habeant ; Laici pariter , cujuscumquè ætatis sint , singulis diebus veneris finita collatione Magistrum suum adeant , qui eos catechismum , Regulæ præcepta , & Religiosam disciplinam edoceat : non comparentes pane & aqua compellantur.

3. Nulli autem Superiorum liceat fratrem Clericum sive Studii , sive cujuscumquè negotii causa extra Provinciam dimittere sine consilio aliquorum Patrum Diffinitorum , sed in propria omnes studere teñeantur.

4. Fratres Clerici & Laici juniores singulis diebus non festivis dicant suam culpam coram superiore Locali in refectorio : feria 2da, 4ta, & 6ta disciplinam faciant , & Sextâ feriâ genuflexi manducent.

5. Non liceat eis Sæculares quoscumquè in Monasterio sine Licentia Superioris alloqui , sub pæna jejunii in pane & aqua ; cùm superiori loquuntur , vel etiam Patribus Provinciæ genuflectant , quousquè expediti fuerint : nec possint , nisi officii causâ , conferre Sermone , sive colloquium habere cum Sacerdotibus , aut Laicis. Idem Clerici in Novitiatibus , sive Professoriis , aut in Principalioribus Conventibus semper per Monasterium incedant bini , sub pæna jejunii in pane & aqua.

6. Nec possint promoveri ad Sacerdotium ante quinquennium in Religione completum , nisi urgenti de causa aliquid aliud esset permitendum.

7. Seminarium fratrum Clericorum ad eum modum quo jam erectum est , sub iisdem legibus & Statutis Pater Provincialis in Conventu Posoniensi , Tyrnaviensi , & aliis continuare non intermittat.

De Vestimentis.

§. III.

I. **C**Um una , eademque Regula animorum requirat paritatem , hæc autem maximè ex indumentorum convenientia indicetur , deinceps Patribus Guardianis & Præsidentibus , incumbet de judicio Patris Pro-

Provincialis secundum rerum necessitatem (Novitiorum autem vestitura soli Patri Provinciali committitur) ut omnes fratres consimili panno (quantum fieri poterit) vili & cordulato vestiantur. Nullus autem frater aliud vestimenti, vel indumenti quidquam gestet in suo corpore, quam duas Tunicas, unam cum Capucio, & aliam sine Capucio, & brachas. Quod si dispositio locorum, temporum, & personarum aliud requirat, possint dispensare superiores.

2. Calepodiis incedant fratres omnes, neque Sandaliis ex Corio quis audeat incedere, vel uti sine necessitate, & sine Superioris Licentia.

3. Capuciorum, habituum, Tunicarum extensio fit juxta proportionem corporum in forma hactenus usitata, Chordæ subtiles non portentur, Biretrum seu capiciolum etiam in patenti loco, in, & extra Claustrum non portetur.

4. Porrò cum in Regula sub peccati mortalis reatu vestimentorum vilitas nobis injuncta sit, hæc verò in pretio pariter & colore consistat; unde nobis non tantum pretiositas, verum etiam curiositas interdicta, & noster vestitus ad corporis tegumentum, non autem oblectamentum sensuum ordinatus esse dignoscitur, quocirca ejus repetitionem noster Seraphicus Pater in Regula commendavit, juxta S. Bonaventuræ sensum, ut Sæculi stultitia in habitu fratrum ostendatur, eiquè Benedictionem adjunxit: quoniam qui se stultum & despicibilem reddit huic mundo, ipse DEO efficitur speciosus. Hanc vestimentorum vilitatem tanquam paupertatis altissimæ decorem extollentes, hortamur vos, dilectissimi fratres, ut abnegantes Sæcularia desideria, mundi contemptum, non tantum intus coram DEO, sed etiam foris coram hominibus jugiter profitentes, in habitu attrito, & repetiato vestrum honorem, & existimationem constituere velitis; quia reverà (ut ait Hugo de Dina) vestis pretiosa & Curiosa Religioso pauperi confusio est.

5. Quapropter ordinamus & mandamus, ut nullus Patrum vel Fratrum indui possit habitu novo, nisi prius annò integrò gestaverit repetiatum; Ideoque teneatur unum eundemque habitum sive tunicam exteriorem gestare duobus vel etiam tribus annis, Mantellum verò tribus annis.

6. Omnes etiam Patres vel Fratres, qui tunica exteriori indigent, vestiantur mensibus Octobris, Novembris, vel Decembris, extra hoc tempus nullus audeat novum habitum induere, etiamsi à benefactoribus ei fuerit oblatus.

7. Nec liceat ulli ambobus indumentis, nimirum habitu & mantello

tellò simul novis indui, nisi verè indiguerit utroquè, eò quòd utrumquè fatis fuerit repetiatum, vel ita attritum ut frigori arcendo non sufficiat.

8. Si quis nostræ ordinationi se accomodare stante possibilitate renuerit, is ab officiis Ordinis arceatur, & ad ea, tanquam Regulæ contemptor inhabilis existat, ac præterea tanquam sensualitatis & Curiositatis reus manifestus, Superiorum arbitriò puniatur. Superiores id exequi negligentes officiis priventur.

9. Si qui fratrum vel Religiosæ munditiei contemptores, vel paupertatis immemores, vel novitatem habituum curiosius affectantes, conservandi, vel purgandi habitûs curam non habere conspiciantur; vel apud sæculares cum similibus habitibus immundis comparere audeant, pro prima vice faciant disciplinam in publico refectoriò per unum miserere: pro secunda vice genuflexi solo pane & aqua contenti manducent: pro tertia verò vice probationis Capucium deferre debeant.

10. Quapropter in Communitate (ut vocant) asserventur omnia, tam ad vestium, quàm ad cubitum Spectantia, quibus præficiatur Frater maturus & discretus, qui eorum mundandorum, & reficiendorum curam habeat diligentem. Inde unicuiquè quod opus fuerit, submitret; in particulari autem cuilibet Sacerdoti pro una Septimana dentur munda Strophiola tria, aliis verò duo. Brachæ mundæ distribuuntur in æstate singulis diebus Sabbathinis post prandium (& tunc temporis possunt etiam distribui Strophiola) sub pæna, contra venientibus, si sunt Superiores, privationis officiorum, si autem sunt subditi, aliis æquivalentibus.

11. Præcipimus universis superioribus localibus, ut duplex vestiarium æstivale & hyemale in singulis communitatibus nostrorum Conventuum erigant, in usum deducant & conservent; atquè ita à cunctis Patribus & Fratibus in festo SS. Apostolorum Philippi & Jacobi assumantur habitus æstivales; circa festum verò Omnium Sanctorum hyemales, qui omnes statim utroquè tempore à Fratibus Laicis laventur, mudentur & reficiantur. Insuper præcipimus, ut quilibet Religiosus cujuscumquè conditionis missus ad alium Conventum incolendum, non nisi unicum habitum & tunicam secum habeat, quocumquè etiam anni tempore; unde proficiscens æstivo tempore teneatur habitum hyemalem, si habeat, induere, & cum eo ad Conventum destinatum pergere sub destitutione vestiarii. Vestimenta verò Patrum

& Fratrum defunctorum mittantur ad manus Patris Provincialis, qui ea pro indigentibus Candidatis in Novitiatibus applicabit.

12. Frustra verò in nostra regula distingueretur inter Loca, & tempora, & frigidas regiones, si de regionibus illis Australibus, & istis Aquilonaribus (ubi tempore hyemali plerumquè frigus in tantum prævalet, ut lacus, & fluvii magni glacie constricti equis, & curribus onustis solidum præbeant iter) par ratio esset habenda. Quapropter paternæ discretioni nostri Seraphici Patris, Patrumquè gravissimorum, in hac Provincia nostra quondam antecessorum nostrorum judiciis inhærentes, concedimus, quòd hyemali tempore fratres possint gestare tibialia ex panno usitato, vel filo laneo confecta, supra talos truncata, ita, ut pedes à talis deorsum nudi maneant. Socki etiam permittuntur usquè ad Sacrum conventuale, quòd finitò ab omnibus deponantur, exceptis debilibus & infirmis. Ad initium autem veris mitigato jam frigore mox ad mandatum Superioris quilibet ista Tibialia truncata, & Sockos communitati consignare teneatur sub pœna disciplina, & privationis vocis activæ, & passivæ per biennium.

De divino Officio & jejunio, & quomodo Fratres debeant ire per mundum.

CAPITULUM TERTIUM.

§. I.

De divino Officio.

1. **F**esta terræ, quæ nimirum à locorum ordinariis in proprio Sanctorum præscribuntur, Celebrentur etiam in Ecclesiis nostris.
2. Officium parvum Beatissimæ Virginis Mariæ dicatur juxta Sanctam Provinciæ consuetudinem.
3. Suffragia fiant juxta Rubricas tam Breviarii Romani Generales, quàm Ordinis nostri speciales, ita ut in Laudibus & Vesperis post Suffragium Beatissimæ Virginis MARIÆ fiat immediatè de Sancto Michaële Archangelo, de Sanctis Apostolis, de Seraphico Patre nostro Francisco, de Sanctis nostri Ordinis, & de pace, de Patrono autem templi suò locò. Ad Completorium quoquè primum suffragium erit de Sancto Michaële Archangelo, Secundum de Stigmatibus Sancti Patris nostri, & tertium de Sancto Antonio de Padua.

4. Conventuale Sacrum dicatur semper post dictam tertiam, ad quod Fratres Clerici omnes, & Laici legitimè non impediti compareant, quod ut exactiùs fiat, debet attendere Pater Vicarius.

5. Si in feriis majoribus Adventûs, Quadragesimæ, quatuor temporum, & vigiliarum occurrat festum novem Lectionum, dicitur Missa Conventualis de eo, nec alia necessariò dicenda est de feria; cum nomine Ecclesiæ Collegiatæ Monasteria minimè comprehendantur. In Vigiliis autem, quæ veniunt infra octavam, dicitur Missa Conventualis de Vigilia.

6. In Choro nulla appareat difformitas, sive in vocibus, sive in gestibus corporis: omnes simul ad eandem partem se vertant, simul stent, simul sedeant, simul genuflectant, simul capita inclinent: liber privatus nulli permittatur, non innitantur sedibus, ad Cantica verò Benedictus, & Magnificat, Te DEUM Laudamus, Laudate Dominum de cælis, extra sedilia detecto capite stent erecti.

7. Genuflectatur ab omnibus dum auditur Verbum caro factum est, Homo factus est, Te ergo quæsumus, O Salutaris Hostia: O crux ave spes unica: tantum ergo Sacramentum, & Cælites & inferi tremente curvantur genu: Cujus vel quorum festum colimus: Veni Creator Spiritus: Ave maris Stella. Quodcumquè etiam Sacrosanctum Nomen JESU audiunt, omnes se inclinent versus Venerabile Sacramentum, aut summum Altare; Cùm nominatur Beatissima Virgo MARIA, vel Sanctus Pater noster Franciscus in choro caput omnes inclinent versus se invicem; extra chorum verò caput inclinent, & non versus Venerabile Sacramentum, aut summum Altare determinatè: Ad Collectam officii versus se mutuò inclinent, ad conclusionem & alias collectas sicut & ad Capitulum vertant se versus Altare.

8. Cantus fractus, sive figuratus, sit fratribus nostris ubiquè locorum interdictus, ita, ut in Ecclesiis nostris (sicut nec instrumenta musica præter Organum, & quod vocant Regale) nunquam admitti possit sub pæna Superiori arbitraria. In præsentia tamen Principum, aut Prælatorum principalium poterit admitti. In festis quoquè Sancti Patris nostri Francisci, Portiunculæ, S. Antonii de Padua & similibus, ubi Patres ad Confessiones excipiendas simul & ad Missam Cantandam in Choro non sufficiunt, & aliqui Musici Sæculares ex devotione se offerunt, poterit Musica adhiberi. Missa quoquè Conventualis non cantetur, nisi in festis fori, & Ordinis nostri (seclusò tamen scandalò) sed legatur ab Officiatore voce paulisper altiori, Clerico in superpelliceo ministrante.

9. More hætenùs consueto ferià secundà , quartà & Sextà post suffragia Completorii dicantur Psalmi : DEUS Misereatur nostri &c. & de profundis &c. pro Benefactoribus nostris tam vivis quàm defunctis. Singulis etiam feriis Sextis post Nonam dicatur psalmus : in te Domine speravi &c. cum Antiphona : Christus factus &c. versiculo & oratione Respice &c. deinde quinquies Pater & Ave expansis brachiis.

10. Antiquus, & pius mos Religionis est, meritò etiam hæc in Provincia servandus, ut singulis annis quinque officia defunctorum à fratribus celebrentur. Primum die Lunæ post Dominicam Septuagesimæ, pro fratribus, & benefactoribus nostris cum oratione : DEUS veniæ largitor. Secundum pridie Sanctæ Mariæ Magdalenæ. Tertium pridie Sancti Michaëlis Archangeli. Quartum infra octavam Sancti Patris nostri Francisci, pro eis, qui fratres nostros receperunt hospitio. Quintum ante Dominicam primam Adventûs pro Parentibus fratrum nostrorum, cum oratione : DEUS qui nos Patrem & Matrem &c. pro quolibet dictorum officiorum Patres Sacerdotes omnes & singuli celebrabunt unam Missam, Clerici recitabunt officium Defunctorum duplex, Laici verò dicent centum Pater noster & Ave Maria.

11. Pro fratribus nostris singulis ex hac vita migrantibus in singulis Conventibus dicantur Vigiliæ & Missa decantetur. Quisque Sacerdos pro quolibet Patre & Fratre dicat unam Missam, Clerici integrum officium defunctorum, & Laici ter centies Pater & Ave. Quilibet tamen Sacerdos tres leget Missas pro Patribus Provinciæ Emeritis; pro Patribus verò Excustodibus & Exdiffinitoribus duas, Clerici ter dicant officium defunctorum, & Laici ter centies Pater & Ave. Supradictum officium defunctorum immediatè dicatur post prandium finita gratiarum actione, cui officio tenebuntur interesse tam Patres quàm fratres, nisi legitimè impediuntur. Menstruale autem Officium defunctorum dicatur more hætenùs consueto & tempore solito.

12. Secundùm Sanctissimi Domini nostri Clementis VIII. Decreta, nullus omnino, sub cujuscumquè Privilegii, etiam prioritatis, qualicumquè prætextu à servitio chori censeatur immunis, nisi pro tempore, quo quis in proprii officii munere fuerit occupatus. Unde juxta Urbani VIII. constitutionem, omnes omninò Sacerdotes non impediti ad faciendam hebdomadam, sive officiatoris munus ordine peragendum sint adstricti.

13. Si quis aliquam horam interdiu neglexerit, agnoscat suam culpam coram Superiore in refectorio. Porro à matutino qui absens fuerit

fuerit, pro prima vice dicat quinquies Pater noster & Ave Maria extensis brachiis. Quod si infra octo dierum spacium, secunda vice se absentaverit humi manducet, cibus ordinariis, & aquâ contentus. Si verò idem, octo dierum spatio tertia vice matutinum neglexerit, genuflexus in pane & aqua jejuset. Quâ eâdem pœna puniatur, qui ex mala consuetudine singulis septimanis se absentaverit. Cum senibus & valetudinariis mitius agendum erit, quod discretioni Superiorum committitur.

14. Fratres Laici singulis diebus veniant ad Matutinum, & orationem mentalem utramquë (diebus verò festivis etiam ad Vesperas, nisi sint officiis legitimè impediti) & maneat in aliquo loco juxta chorum Clericalem, & in hoc compareant ordinatim adstantes in matutino ad Invitatorium, Hymnum, Te DEUM Laudamus, & Benedictus, nec non in vesperis ad Magnificat, sub pœna negligentibus unius disciplinæ, vel jejunii in pane & aqua.

15. Ad primum Campanæ signum, omnes Patres & Fratres Legitimè non impediti chorum accedant, DEO suo se sistant, corda præparaturi, nec ultimum campanæ signum expectent, sub pœna superiori arbitraria.

16. Ad matutinum totius anni tempore (extra octavam Corporis Christi, & tres Dies majoris hebdomadæ: octavam Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis, festum Sanctissimi Nominis JESU, & transfigurationem Domini) pulsabitur horâ duodecimâ noctis. Ad primam verò & tertiam à Calendis Septembris, usquë ad Calendas Maii horâ mediâ septimâ; à Calendis verò Maii usquë ad Calendas Septembris horâ sextâ; Ad sextam verò & Nonam totò annò pulsabitur horâ decimâ, ita ut immediate absolutis horis ad refectorium pransuri accedere possint; Ad Vesperas pulsabitur totius anni circulo horâ secundâ (exceptis temporibus Quadragesimæ, quo tempore pulsabitur ante prandium juxta dictamen Rubricarum) ad Completorium tempore hyemali horâ quartâ, tempore æstivo hora mediâ quintâ.

17. In festis Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi, Beati Patris nostri Francisci persolvantur Divina cum apparatu solemnî, tam Officiatoris, quàm Ministrorum, & tunc etiam cantentur Invitoria, Hymnus, Lektionen, & Responsoria tertii nocturni, cum Hymno Te DEUM Laudamus, & Capitulum cum reliquis. In duplicibus secundæ Classis cantetur Nona Lectio, cum Hymno Te DEUM, ubi fieri potest.

18. Patres Sacerdotes omnes, nisi legitime impediti existant, singulis diebus celebrent, juxta dispositionem & Intentionem Superioris Localis, nisi aliquando Pater Minister Provincialis aliter determinaverit pro beneficio publico Provinciæ. Conceditur tamen eis singulis hebdomadibus saltem die Dominico Missa, juxta eorum propriam intentionem applicanda, hac conditione, ut pro se ipsis, vel animabus purgatorii, seu Benefactoribus, vel amicis Spiritualibus dictam Sacrificium tantum applicent, non autem pro Eleemosyna pecuniaria, sub pœna proprietatis, & aliis pœnis Ministro Provinciali arbitrariis.

19. In Sacristia, & aliis Ecclesiæ locis, omnia pro loci illius dignitate, & sanctitate mundissima servantur, & quod maximè observandum præcipitur, Mappæ, Corporalia, Purificatoria, aliaque ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium spectantia, sæpe, & religiosè quidem, ac decenter laventur; ita ut Corporalia singulis mensibus semel (saltem ferialia quibus quotidie utuntur) purificatoria verò & manutergia singulis septimanis mutantur, atque adeò munda omnia appareant, ac summo opere colliceant.

20. Sedulo quoque invigilent Superiores locales, ne quidquam etiam minimum sine scitu ipsorum in Sacratio per Sacristanos recipiatur, vel extra per comutationem, vel commodationem cuiquam concedatur.

21. In celebratione quoque Missarum Sacerdotes omnes unum, eundemque servant ritum à sancta Romana Ecclesia præscriptum. Dabuntque operam omnes Guardiani, ut in unoquoque Conventu Rituale Diæcesanum habeant: Celebraturi verò, secundum usum Romanum recto capite ad Altare graviter & Religiosè incedendo pergant, Missam devotè legant, neque adeò properent, Studentes, ut in tam tremendo Sacrificio, cui assistunt Angelorum exercitus, medium horæ spatium infumant.

22. Sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ præcipitur, ut nullus audeat auferre, alienare, aut transportare reliquias Sanctorum ex nostris Ecclesiis; transgressor non possit ab ullo Confessario absolvi, nisi restituat ablatum, & si fuerit convictus, carceribus mancipetur ad mensem, & suffragiorum jure privatus ad quinquennium existat. Neque nullus se ingerat in accomodandis reliquiis sine licentia Patris Provincialis & Discretorum in scriptis.

De Oratione mentali, & Jejunio.

§. II.

1. **Q**uantùm oratione mentali consulatur Spiritui, & interiori homini, patet exinde, cùm vel hac solâ deficiente, omnis regularis disciplina, & observantia, ut corruat, necesse sit; quare mandamus, ut æstivo tempore meditationi detur integra hora, à quinta matutina usquè ad Sextam; hyemali verò tempore post Matutinum, præmittendo priùs litanias Omnium Sanctorum; deinde lectionem Spiritualem Vitæ, vel Passionis JESU Christi ex pio quodam auctore, ut vel sic materia suppetat, circa quam meditando animam suam cælesti pabulo reficere queant; tribus autem diebus Majoris hebdomadæ, sub octava Corporis Christi, Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis, Festo sanctissimi Nominis JESU, & Transfiguratione Domini fervetur meditatio ab hora quinta usquè ad Sextam.

2. Post Completorium quoquè fiat recollectio per mediam horam, quâ finitâ detur signum in choro. Ad hanc recollectionem, quantum fieri poterit, revertantur quicumquè extra Conventum fuerint.

3. In Provinciis bene ordinatis ex antiqua consuetudine Religiosi solent jejunare quibusdam diebus, etiam ab Ecclesia non præscriptis; Quare mandamus, ut pertotam Provinciam, & in omnibus ejus Conventibus Strictè, & inviolatè servetur jejunium in Vigiliis Ascensionis Domini, omnium Festorum Beatissimæ Virginis Mariæ, ac Sancti Patris nostri Francisci: in diebus quoquè Sabbathinis per totum annum, ad ejusdem Virginis Immaculatè conceptæ memoriam, Fratres refectio-
ne meridianâ sint contenti, & à cæna abstineant. Qui verò diebus Sabbathi, aut aliis, in prandio à cibis ordinariis abstinere voluerit, eos cum incommoditate Coci in collatione non prætendat.

4. Sacram Quadragesimam quæ incipit ab Epiphania Domini, usquè ad continuos quadraginta dies, sicut nemo cogi potest, ita omnes incitari debent, ut pro consequenda Benedictione Domini jejunent; idcirco ait: qui eam voluntariè jejunare voluerint, Superiores igitur locorum de necessariis alimentis, quantum ratio temporis ob piscium in hyeme raritatem, & pretium admittet, diligenter provideant, ut & ipsi, una cum illis Benedictionem Domini consequantur.

5. Ultimis quidem diebus Bacchanalium permittitur carnis esus, videlicet Dominica, feria secunda & tertia ante feriam quartam Cine-
rum,

rum, ita tamen, ut illis diebus nullus egrediatur de Conventu absolute, nec ullus extraneorum invitetur ad Conventum. Patres Superiores in hoc advigilabunt sub gravi animadversione Patris Ministri Provincialis.

6. Particularibus jejuniis tempore carniū absolute nullus præsumat Superiorem localem molestare, sed, si quis voluerit, in particulari jejunare, sit pane & potu consueto contentus.

Quomodo fratres debeant ire per mundum.

§. III.

1. **V**eteri ac probatæ, perpetuoquæ usu receptæ Religionis nostræ consuetudini inhærentes, statuimus, atquæ decernimus, ut Fratrum nemini prorsus sine socio iter facere, aut ad Eleemosynam petendam exire liceat, sub Apostasiæ nota eò ipsò incurrenda; nisi necessariam ob causam Patris Provincialis, vel si negotium urgeat, discretorum Conventûs judiciò probatam; Provincialis autem pro regularis disciplinæ retinendæ studio caveat, ne facultatem ejusmodi, nisi in urgente, sibi quæ manifesta necessitate, cuiquam concedat.

2. Publicæ & sanctæ honestati accuratiùs & studiosiùs servandæ gratiâ, maturè decernimus, ut qui Sacras peccatorum Confessiones in sæcularium domibus audierint, aut alia negotia tractaverint, nunquam à sociis ita separentur, ut ab eis videri non possint, nisi fortassis ad aliquem Principem, vel similis dignitatis personam eundum esset.

3. Nullus Fratrum, quicumquæ ille sit, ad Monasteria Monialium accedere præsumat, & quidem nec ad loca exteriora, nequæ cum aliqua Monialium loqui, sub pæna Patri Provinciali, & Superioribus localibus arbitraria. Guardiani quoquæ locorum, ubi sunt monasteria Monialium, ad interiora loca nullatenùs, in casu verò negotii Conventum concernentis in Superiorum majorum absentia, ad loca exteriora tantùm accedere possint, ibiquæ necessaria loqui.

4. In accessu ad civitates, & loca, in quibus sunt nostra monasteria, nullus Fratrum divertat ad sæculares, seu aliquam domum, sed monasterium immediatè & directè accedat; quoddè etiam servari volumus in discessu à nostris conventibus sub pæna disciplinæ, ac Panis & Aquæ.

5. Ad Processiones publicas, sive conductus funebres, cùm eundum est, incedant omnes tecto Capite, præterquam, quando circum-

fertur Venerabile Sacramentum, tunc enim ut caput apertum habeant, oportet.

6. Quamvis ubiquè locorum Religiosos deceat per mores externos internarum animi dotum pulchritudinem mundo commendare, sicquè animos ad studia virtutum accendere, specialiter tamen meminerint, in Theatro Spectatorum se esse expositos in Processionibus publicis, ideoquè sibi observandum esse illud documentum: cùm per urbem incedis, memento te Religiosum esse, non pictorem.

7. Detestandam quorundam Fratrum cum sæcularibus, sive extraneis familiaritatem, cujus occasione suis intrinsicis (ut putant) amicis dicta nostrorum, & facta infami confidentiâ recensebant, aut jocis ad ineptam lætitiâ provocantibus eorum gratiam captare studebant, plurimum odii & damni Religioni nostræ attulisse in comperto est. Quapropter Superiores locales vehementer in Domino exhortamur, ut ad similes familiaritates disrumpendas omnem conatum & robur adhibeant, eundem sæpè ad eundem locum exire non permittant: duos etiam petitos, nunquam exire concedant, nisi ad Benefactores Ordinis notissimos, idquè rarissimè. Patribus verò & Fratribus omnibus districtè sub pœna carceris per duodecim dies, & privationis vocis activæ & passivæ per triennium, & excommunicationis latæ sententiæ, secundum gravitatem materiæ præcipimus, ne aliquid, sive ordinem in communi, sive personam Ordinis in particulari concernens cuiquam extra ordinem etiam Patri Spirituali, sive Syndico Conventûs, aut Monialibus quibuscumquè recenseant, vel aperiant, quod non sit expressè bonum & laudabile, non obstante quacumquè excusatione, vel prætextu.

8. Si quis verò alia indifferentia, & impertinentia, etiam si mala non sint, nugaciter effutire, & conversationis suæ miseriam similibus exornare præsumperit, & de hoc Superiori constiterit (etiam si id probari non possit) teneatur Superior talem blateronem jejuniò in pane & aqua, & ultra, juxta quantitatem delicti, castigare publicè, usquè dum & ipse suò, & alii alienò damnò sapere discant, & persuasum habeant, non comparari amicitiam absquè bono exemplo, & virtutum odore, juxta illud Ecclesiastis: qui timet DEUM æquè habebit amicitiam bonam, quoniam secundum illud erit amicus illius. C. 6. v. 17.

9. Ad eliminandum equitandi abusum præter Pontificias Declarationes, & Ordinis antiqua Statuta, ex constitutione S. D. N. Urbani VIII. Omnibus & Singulis Ordinis nostri Fratribus sub pœnis privationis

tionis officiorum, quæ obtinent, ac perpetuæ inhabilitatis, ad quæcumque officia, gradus, & dignitates, impostero ipsò factò incurrendis, nec non carceris per duos menses, præcipimus & mandamus, ne quis absquæ manifesta vera, gravique necessitate, aut infirmitate, & absquæ licentia in scriptis Patris Provincialis (qui eam præstare non possit sinè scripto necessitatis testimonio sibi à Guardiano & discretis conventûs, vel Medico factò) vel in casu urgenti Superioris localis, de judicio trium discretorum, nemine discrepante, quorum conscientias oneramus, in scriptis obtenta, equitare audeat, vel præsumat.

10. In judicio autem talis necessitatis attendendum est, juxta Regulæ expositionem communiter receptam, non solùm sit necessitas ipsius Fratris corporalis, sed etiam negotii, quod se offert tractandum, ita ut non sit voluntarium, sed necessarium, & præcisè vel Conventûs utilitatem, vel proximorum profectum, aut salutem animarum concernens, aliter verò non liceat Fratribus equitare.

11. Bigandi tamen, quadrigandi aut currizandi facultatem Minister Provincialis attentâ Patriæ nostræ consuetudine, locorum distantiâ, & negotii, ac Fratris necessitate concedere possit, circumspectè tamen, ne Patres vel Fratres per unum, alterumvè milliare iter acturi sine ullò necessitatis titulò indiscriminatim curru vehantur; Quare strictè præcipimus, ut à modo nullus ex junioribus, Vegetis, & sanis, sine facultate expressa sui Superioris curru ire præsumat, sub pæna panis & aquæ sine Capucio. Superiores verò diligenter attendant, & considerent, quale? quantumvè iter? qualis itinerantis complexio? qualisque pro curru sit recursus aut necessitas? ut sic facultatem petentibus justè concedere, vel denegare possint.

Quòd Fratres non recipiant pecuniam.

CAPITULUM QUARTUM.

§. I.

I: **P**ECUNIARIA receptio quæcumque tota Ordinis & regularis observantiæ ruina, ac excidium, etiam per interpositam personam nobis esse totaliter interdicta dignoscitur. Unde quicumque Frater pecuniam recepisse, aliquã procurasse, contrectasse, vel retinuisse, in cella, vel alibi per se, vel per interpositam personam repertus fuerit, pæna proprietarii puniatur. Capsæ verò vel trunci ad recipiendas Eleemosynas non solùm in Monasteriis, & Ecclesiis nostris, sed etiam Sacristia, & quacunque

parte Monasterii omninò prohibentur sub pænis inobedienciæ, privationis officiorum, & Excommunicationis majoris latæ sententiæ, Superiori locali incurrenda. Ubi autem tales Eleemosynæ intra clausuram Conventûs aut Ecclesiam, aut Sacristiam sive pro sacris, sive gratuitò oblatae fuerint, Superiores locales teneantur eodem die ad Parentem Spiritualem, aut ejus substitutum, deponendas transmittere, in quo eorum conscientias oneramus. Volumus proinde, ut in quolibet conventu servetur fidelis quidam Frater Tertiarius Professus, ut præfata faciliùs & tutiùs executioni mandentur.

2. Ut autem Syndici Apostolici nostrorum Conventuum, sive Eleemosynarum, pro Fratrum necessitatibus erogatarum depositarii non sint interpositæ personæ, oportet, ut de ipsorum donantium, non Fratrum voluntate & beneplacito, ad recipiendas pecunias nominentur, seu præsententur, & contra eorundem intentionem non adhibeantur. Quapropter nullus Superior localis sive apud Syndicum Apostolicum, sive apud quamcumque personam aliam, deponi suo nomine, & autoritate faciat pecuniam aliquam, sed si aliquis Benefactor vel gratis ex amore DEI, vel pro Missis & mercede laboris pecuniam Eleemosynariam, pro Fratrum necessitatibus præsentibus, vel imminentibus erogare voluerit, rogandus est, ut ipsemet eam per se, vel per aliquem substitutum expendere velit.

3. Quòd si talis Benefactor, vel dans Eleemosynam petat aliquem substituendum ab ipsis fratribus nominari, decernimus in hoc casu non posse alium nominari, quàm Syndicum Conventûs: non quidem ut eam recipiat tanquam Syndicus sedis Apostolicæ, sed tanquam amicus Spiritualis in Regula expressus: pro ut convenientissimo nomine Pater Spiritualis Franciscanorum vulgò his in partibus appellatur. Ideoque ipsorum dantium voluntati omnium maximè conformis est censendus, & (si aliud non exprimatur) pro eorum omnium communi substituto tenendus.

4. Declaramus præterea Dominium, jus, & proprietatem pecuniarum, pro Fratrum necessitatibus modò supradictò depositarum remanere penes ipsum dantem, donec in Fratrum usum fuerint expensæ. Idcirco Superiores non possunt de eis imperativè disponere, sed cum depositario, sive substituto, sive Patre Spirituali gerere se debent, sicut cum ipso dante, necessitates Fratrum exponendo, & humiliter rogando.

5. Ad idolum avaritiæ, ex statu nostræ paupertatis penitus eliminan-

minandum, præcipimus sub pœna excommunicationis omnibus Superioribus, & subditis, ne quis unquam inducat, aut permittat Patrem Spiritualem, sive Syndicum Conventûs experiri in judicio pro causa juris dubii in nostrum favorem, cùm id non tantùm conscientiis nostris periculum, sed & aliis scandalum afferat.

6. Quamvis à Depositario, sive Patre Spirituali rationem accepti, & expensi, seu computum politicum exigere jure nobis non liceat, tamen computum simplicem & naturalem cum eo fieri nihil prohibet: quocircâ talis computus fiat impostero singulis quatuor anni temporibus, in præsentia Patrum Discretorum Conventûs, & aliter factus pro suspecto habeatur.

De modo Laborandi.

CAPITULUM QUINTUM.

§. I.

I. **O**Tium animæ inimicum, per fidelem, & devotum laborem esse excludendum noster Seraphicus Pater in sua Regula paternè admonet; & quamvis ejus intentio non fuerit studiò, vel divinis officiis, & ministeriis exequendis vacantes, manuali labori subicere, tamen ad alios, qui se in prædictis Spiritualibus operibus non exercent, verba prædicta declarantur extendi. Quapropter statuitur, ut qui conspiciuntur esse otiosi, etiam Sacerdotes, occupentur labore honesto, nec idcirco exemptionem à Choro prætere possint, sed teneantur horis vacantibus mandato satisfacere, sub pœna jejunii in pane & aqua.

2. Cùm litterarum studia Ecclesiæ DEI, & Religioni nostræ ornameto, & emolumento semper extiterint, decernimus, & mandamus, ut Pater Provincialis super studiorum reformatione diligenter invigilet, ipsisque Lectoribus, & Studentibus, quæ necessaria erunt, per locorum Superiores, quantum possibile fuerit, providenda curet.

3. Ut autem Fratres ad studia deputati ob penuriam temporis, à desiderato fructu non sint impediti, eos ab oneribus chori aliquantum eximendos duximus, ac proinde cuilibet Sacrosanctæ Theologiæ, & Philosophiæ Studentium infra quamlibet hebdomadam aliqualis à matutino (nisi occurrat festum Primæ vel Secundæ Classis) exemptio permitti poterit; non quidem ad eorum libitum, sed alternatio-

ne servata, & diebus ferialibus (die Dominica, festis fori, & feriâ Sextâ exceptâ) inter eos ordine distributis: similiter ab horis, primæ, tertiæ, Sextæ, & Nonæ, ac Completorii alternatim, exceptis diebus Dominicis & Festis Fori eos eximimus. Qui verò studentium, ut præfertur exemptorum matutinum, die non concessa infra hebdomadam neglexerit, pro qualibet vice, sub refectione publica sequenti genuflexus ad arbitrium Superioris localis in pane & aqua jejundet. Qui verò aliquam horam, Completorium, aut orationem mentalem neglexerit, coram Superiore publicè culpam agnoscat, correctionem audiat, & nisi meritò excusandus videatur, aquâ contentus manducet. Tempore quoquè vacationum nulla suffragetur Studentibus exemptio.

4. Pro quolibet Conventu in singulis Capitulis denominentur à Venerabili Diffinitorio Resolutores casuum, qui singulis quartis feriis post cænam, eosdem discutiendos & resolvendos proponant, cui omnes Sacerdotes & Clerici interesse tenebuntur. Quandoquè etiam hoc exercitium fiat circa regulæ nostræ expositionem.

5. Laborabunt Patres Guardiani pro viribus, ut formales Bibliothecas instituant ad instar Posoniensis, cùm nihil adedò necessarium sit & utile. Pro quarum augmento quilibet Guardianus singulis annis unum alterumvè librum juxta exigentiam personarum magis utilem & necessarium providere teneatur, eosquè scriptò specificatos cum Discretorum subscriptione ad Capitulum transmittere. Modus autem procurandi Patri Provinciali comittitur.

6. Hujusmodi quoquè Bibliothecarum indemnitatì consulere volentes, omnes & singulos quicumquè librum aliquem, aut folium, vel quaternū, vel etiam rem aliam in Bibliothecis repositam, sine expressa Bibliothecarii, à Ministro Provinciali constituti licentia inde extrahere audent, excommunicationis latæ sententiæ ipsò factò incurrendæ vinculo innodamus, à quo extra mortis articulum non nisi à Patre Provinciali facta priùs restitutione absolvi possit. Licebit autem Bibliothecario tot libros cuilibet fratri (nulli autem sæculari, vel alterius Ordinis, aut statûs Ecclesiasticæ personæ) concedere, quot juxta singulorum qualitates & officia necessarios Superior judicaverit.

7. Teneatur quilibet Cathalogum librorum, quos in cella retinet, Superiori vel Bibliothecario tradere, & unusquisquè Patrum iis contentus esse, quibus ad officii, sui functionem, devotionem, aut instructionem propriam indiget; copiam verò ad instar Bibliothecæ privatae

vatae profusè vitare. Quapropter nemini Fratrum liceat habere libros particulares.

8. Ne verò libri pereant, quàmprimùm per Superiores locorum & Discretos, in inventaria referantur. Pater Provincialis etiam saltem semel in suo triennio teneatur per se, vel per alium dictas Bibliothecas visitare, inventariumquè cum libris comportare, an omnes reperiantur, & inventario se subscribere ad præsentiam Superioris localis, & duorum Discretorum.

9. Indignum planè judicantes tam culpabilem multorum imperitiam conspici circa id, quod tam ad nostrum quotidianum divini cultûs decorem, quàm fidelium devotionem & Religionis existimationem pertinet, Statuimus, & mandamus, ut in posterum nullus Clericorum ad Sacros ordines promoveatur, qui non sit cantûs nostri choralis benè peritus, teneanturquè etiam Sacerdotes juniores unam horam post prandium à Duodecima usque ad primam ad placitum Superioris Localis impendere in talis cantûs exercitio. Pater Provincialis autem sedulò curabit, ut cantores in omnibus Conventibus (etiam si oportuerit Sæculares) constituantur, qui Fratres in hac arte solerter erudiant.

10. Ad conservandum humilitatis exemplum, omnes Fratres, etiam Sacerdotes (demptis Guardianis, Lectoribus, Concionatoribus Ordinariis, ac iis qui provincialatûs officiò functi sunt) scutellas in culina lavare teneantur, eò tamen pacto, ut Fratres Laici in prandio orbiculos lavent, vesperi autem & diebus festivis scutellas & orbiculos. Monentur quoquè supra exempti, ut & ipsi pro bono exemplo & mortificatione propria nonnunquam lavent.

11. Fratres Laici singuli teneantur pluribus officiis satisfacere, operaque manualia in Conventu perficere, sæcularibus quantum possibile est exclusis, sub pœna privationis Capucii; hortorum quoquè culturam exercent, circa quod Pater Provincialis sollicitè providebit, ut Novitii & juniores professi instruantur, etiam per hortulanos sæculares in principio. Si quis verò suæ conscientiae immemor in dictis exercitiis se exercere recusaverit, ultra prædictam pœnam etiam carceribus mancipetur, usquè dum se emendaverit.

12. Pecuniam pro Missis celebrandis, vel etiam celebratis juridicè expetere prohibemus, sed casu quo devotæ aliquæ Personæ, aliquam Eleemosynæ pecuniam pro Sacrificiis dare voluerint, recipiatur ut simplex Eleemosyna, prout dispositum est capite 4. §. 1. n. 2, 3, 4. Alia

verò ad cibum pertinentia Fratribus pro mercede laboris oblata confignentur Coco, vel cellario communitati distribuenda. Prohibentes sub pœna quoquè disciplinæ, & jejunii in pane & aqua, ut nullus quidquam comestibile vel potabile ad cellam deferre possit.

13. Artis Medicæ, & Chirurgicæ, & Alchimiçæ exercitium ubiquè locorum Fratribus omnibus prohibitum declaramus; Ideoquè pullum tangere, venas Secare, medicinam subministrare extra ordinem, sub pœna carceris interdiciamus. Intra Ordinem tamen chirurgiam, ubi periculum abest, exerceri, non tantùm non interdiciamus, sed Fratres hujus artis peritos charitatis exhibendæ serìo admonemus, atque mandamus.

Adùm

14. Ordinamus insuper de Mandato Reverendissimorum Patris ~~Generalis~~ *Generalis*, ut bis in anno, scilicèt: in Quadragesima regulari, & ordinaria, fiant continua Exercitia Spiritualia, seu recollectiones, & præsertim à nostris junioribus: durantibus exercitiis prædictis, Lectores, & Studiosi Scholas dimittant, Orationi sedulò vacent, & rigidùm observent silentium. Ut verò talis recollectio majori cum fructu fiat, ad persolvendas horas tam diurnas, quàm nocturnas, omnes in choro convenient, & mensa communi reficiantur.

Quòd Fratres nihil sibi approprient, & de Eleemosyna petenda, & de Fratribus infirmis.

CAPITULUM SEXTUM.

De Altissima Paupertate.

§. I.

1. **C**Um ex Regula nostra perspicuum sit, quòd, etiã si de mercede laboris, corporis necessaria (præter denarios vel pecuniam) humiliter nobis recipere liceat, non tamen ita ut omnis excludatur mendicitas, sed pro Eleemosyna confidenter ire jubeamur. Idcirco quotidie fiat collectura panis, & aliorum necessariorum, nec admittatur (juxta Clementis V. declarationem) provisio in futurum, sivè congregatio illorum, quæ de die in diem religiosè, & honestè mendicando acquiri possunt. Pixides verò & pueri, ne habeantur, strictissimè prohibentur, nequè pecunia à Fratribus procuratoribus quomodolibet recipiatur.

2. Quia verò in hac nostra Provincia cum experientia compertum est,

est, Butyri, Vini, Carnis, & frumenti collecturam seu congregationem esse necessariam, eamquæ non nisi certo, & determinato anni tempore fieri posse; conceditur locorum Superioribus, ut respectivè, quantum pro uno anno sufficit, non autem plus, colligere possint; quin imò sub pœna privationis vocis activæ & passivæ ad triennium prohibemus quærere, seu colligere, vel mendicare superflua, nisi id fieret ad subveniendum aliis Conventibus egenis; superfluum autem dicimus, quò ablatò reliquum sufficit. Et in hoc Provinciales, & Visitatores maximè invigilare debent.

3. Insuper cum vinum novum hujus Patriæ sit arduum, & sanitati contrarium, sed pro senibus, debilibus & infirmis, seu ægrotantibus, antiquum omninò sit necessarium: non aliter possumus, quàm tantum vini Conventibus permittere colligendum, ut de antiquo etiam subsidium valetudini necessarium Fratres aliquando habere possint.

4. Superiores locales, etiam cum toto Conventu, non possint nominare, seu instituere Syndicum Apostolicam, utpote cujus institutio, nominatio, vel etiam destitutio, aut privatio Superioribus ~~etiam~~, ~~etiam~~ Provincialibus tantùm competit. Nec licebit cuiquam contractus emptionis, venditionis, comutationis, vel similes sine Syndico ipso inire, aut de Eleemosynis quovis prætextu, aut quæsito colore disponere, sub pœna proprietarii.

5. Nullus Guardianorum præsumat Parentem Spiritualem, Medicum, Chirurgum, aut Apothecarium sinè expressa Patris Provincialis facultate Suscipere, vel deponere.

6. Quòd si Superiorum quispiam repertus fuerit, qui Eleemosynas ad communem utilitatem Fratrum datas defraudaverit, in notabili quantitate, & eis vel in Prælatorum, vel aliarum Personarum, sive Ecclesiasticarum, sive sæcularium, dona quovis modo abusus fuerit, nec ad commune loci beneficium, nec in necessarios Fratrum usus converterit, & de eo legitimè constiterit, is juxta arbitrium Patris Provincialis puniatur. Hoc Statuto tamen non intelligimus Superiores locales, vel etiam Provinciales ita obligare velle, quin devotionis, & gratitudinis causâ aliqua parva munuscula, quæ in detrimentum Religionis minimè vergunt, benefactoribus nostris, qui nos Eleemosynis suis sustentant, præstare possint.

7. Inhibemus quoquæ seriò, ne contractus, instrumenta, aut cujusvis generis scripturæ conventionales fiant, in quibus Fratres se recepisse pecuniam fateantur, sub pœna contra proprietarios constituta. Quòd si Apocham, seu quietantiam fieri oportet, hæc forma ubique

ſervetur: Ego, vel Nos N. N. Fatemur quantitatem pecuniæ, nimirum N. per benefactores nostros N. N. pro noſtris neceſſitatibus deputatam, eſſe bene perſolutam, & conventui hac in parte ſatiſfactum. Inquorum fidem &c.

8. Nullus Fratrum audeat eſſe procurator ad exigenda legata quæcumque, vel comparare in judicio, cùm id conſtitutione Pontificiâ Clementis V. ſit vetitum: qui ſecus fecerit, carceri mancipetur, & Provincialis, ſive Guardianus huic facto conſentiens, ſuo officio privetur. Neque tamen per hoc intendimus prohibere pacificum accessum ad debitorem, humiliter rogando, & proponendo noſtram neceſſitatem, ſuam obligationem, & legantis intentionem; illud enim officium ſolius eſt Syndici Apoſtòlici.

9. Cùm etiam ad ſervandam Regulæ puritatem, omnes cenſus, & legata perpetua ſint instrumentò publicò jam pridem reſignata, monemus in Chriſto, ut Superiores locales, ſive quicumque non ſe ingerant authoritative petendo ſimiles Eleemoſynas annuales, jus ſibi aliquod in illis vendicantes, cùm revera nullum habeant. Poſſint quidem Miſſas, aliaquæ officia, juxta teſtatorum, ſeu legatorum intentionem perſolvere, tuncquæ compensationem deputatam humiliter petere, proteſtando quòd eam petant, non tanquam debitum, ſed tanquam Eleemoſynam ex amore DEI ſuis neceſſitatibus ſuppeditandam. Dato autem caſu quòd tales Eleemoſynæ annuæ Fratribus totaliter denegarentur, non poſſint idcirco conqueri, ſed hæredi Teſtatoris, aut Epifcopo loci Ordinario id indicare licebit, innuendo quòd impoſterum à talibus Miſſis, ſeu Officiis perſolvendis abſtinere velint. De quo tamen Venerabile Diſſinitorium priùs admonendum, & conſulendum erit.

10. Equos in Conventibus alere non poſſint Guardiani, ſine expreſſâ Superioris majoris, de conſilio totius Diſſinotorii, licentia ad tempus, & neceſſitatis limitem concedenda.

11. Fratres quicumque ex Conventu diſcedentes non auferant ſecum librum aliquem, neque Sarcinas geſtent opificum more, ſed Brevariò, unò vel aliò Strophiole contenti iter peragant, tanquam peregrini & Advenæ in hoc ſæculo. Privare tamen Lectores, Concionatores, & Studentes ſuis ſcriptis hic non intendimus. Item ſi quis Frater indiget pro beneficio publico Provinciæ aliquibus instrumentis, ut ſunt chirurgi, fabri lignarii &c. concedimus, ut ſecum deferre poſſit ea, de quibus ſpecificam in ſcriptis à Patre Provinciali habeat facultatem. Qui verò ultra id, quod ſibi permiſſum fuerit, quidquam habere, vel ſecum deferre præſumpſerit, declaratur proprietarius.

12. Horologia ad usum privatum, olfactoriola, sensualitati, non autem necessitati deservientia, cortinas circa lectum, Chirothecas, Crepitas, Pileos pretiosos cum Spiritibus sericeis, cultrorum, & Rosariorum curiositatem omninò interdiciamus Fratribus omnibus, uti etiam numismata deaurata, Breviaria, Diurnalia, & alia ex auro & argento, sub pœna proprietarii contravenientibus. Omnes etiam Fratres sani cujuscumque conditionis, & dignitatis existant, habeant pro lecto Saccum Stramentitium, cum tegumento laneo, seu gausapino sub pœna Superiori arbitraria. Attamen hospitibus qui longo itinere defatigantur, culcitra tomenticia vulgò madraza concedi poterit.

13. Præcipimus omninò quarumcumque rerum proprietatem ab omnibus Fratribus esse auferendam, omnemque supervacua supellectilem prorsus tollendam, præsertim verò in cellis, in quibus Fratres omnes juxta Clem. VIII. constitutiones: nudis parietibus manere debent, nec deinceps aliam supellectilem Frater aliquis habere audeat, nisi quam Pater Provincialis, vel Guardianus ei concesserit (in quo Superiorum omnium conscientias oneramus) sub pœna proprietatis; nec quæ ei ad usum particularem concessa fuerint, ut propria teneat, nec sua appellare audeat, sub pœna amotionis eorum.

14. Præterea præcipimus omnibus Guardianis, ut singulis Mensibus associati duobus Patribus discretis ex Senioribus Conventûs cellas omnium Fratrum visitent, & omnem Supellectilem, vestitûs, librorum, Imaginum, & omnium aliorum ad communem usum concessorum propriis oculis videant, & solùm illa permittant, quæ usum pauperem decent, in quo eorum conscientias oneramus. Cellas verò eorum, qui officio Provincialatûs functi sunt, Minister Provincialis tempore visitationis visitabit eodem modò.

15. Denique cùm DEUS non velit sibi serviri per illa, quæ suorum servorum statui & conditioni dissonant. Adhærentes declarationibus, seu responsionibus, S. D. N. felicitatis recordationis Clementis VIII. datis Reverendissimis Reformatoribus Apostolicis die 5. Maij Anno 1602. & etiam constitutionibus Urbani VIII. decernentibus: Fratres minores Strictioris observantiæ non posse tutâ conscientiam habere, seu procurare Paramenta & vasa Ecclesiastica pretiosa, & excessiva, stantibus Bullis, quæ illos obligant ad observantiam regulæ Sancti Francisci juxta Declarationes Nicolai III. & Clementis V. nisi ex quæ in Ecclesiis nostris invenimus; Decernimus & mandamus omnibus Superioribus, ne impostum facere, vel procurare ex proposito audeant, pro Sacristia

vel Ecclesia nostra, multò minùs pro Monasterio Paramenta nimis pretiosa, vel vasa aurea, vel argentea, sed omnia paramenta imposterum facienda sint ex simplici serico, vel alterius materiæ inferioris cum ornamentis sericeis.

16. Cùm ex Regulæ Præcepto juxta Clementis V. Declarationem temperatis, & humilibus ædificiis teneamur esse contenti, ne tantæ paupertatis à nobis promissæ, quod patet oculis, contrarium foris clamet, ordinamus, ut nullum Monasterium imposterum exstruatur, sine modelli forma à Venerabili Diffinitorio approbati.

17. Nullus Guardianus Capellanas extra Conventum officindas assumat, quantum sine offensa benefactorum, & Patronorum insignium, vel etiam animarum damno fieri potest; nec Sacerdotes ad celebrandas Missas extra Conventum, nisi ex prædictis causis, vel alia urgentissima mittantur sub pœna arbitraria Patri Provinciali; qui etiam nullatenus audeat Capellanas pro longo tempore, & sine Socio suscipere, præterquam apud fundatores ~~quod à tenore Decreti P. Provincialis~~
~~Patri Committitur.~~

De Fratibus infirmis.

§. II.

1. **V**Aletudinarium, seu Infirmaria in singulis Conventibus certo, ac Salubriori loco constituantur, in quo Fratres ægroti magna cum sedulitate, & charitate curentur, nec inde, nisi recuperatâ sanitate recedere permittantur, juxta illud S. Augustini: Qui veram ostendit corporis infirmitatem humanè tractandus est; qui falsam præterdit, & convinci non potest DEO dimittendus est. Provideant quoque Superiores locales juxta Ordinationem Medici omnia ad valetudinem spectantia: & in hoc notabiliter defectuosi, priventur officio: Infirmi autem meminerint sanctæ paupertatis & patientiæ, juxta illud: non erit clamor in valetudinario, si patientia fuerit in Infirmo, & charitas in Infirmary.

2. Tebeantur Guardiani in suis Conventibus tres vel quatuor tunicas cum Capucio ex panno subtili Mazalan dicto, laneo tamen confectas pro sublevamine infirmorum habere, ne unquam sine habitu religionis vel vigilent, vel dormiant; Indusia verò Linea, & culcitrae plumæ non concedantur, nisi de vita periclitantibus, & de Medici præcepto. Advertant tamen sub gravissima pœna Patri Provinciali arbitraria, ne Fratres sani prædictis, vel similibus tunicis, & Capuciis utan-

utantur, sed tantummodo tempore veræ infirmitatis. Idcirco Capucia nocturna, ut vocant, Fratribus sanis omninò interdican- tur.

3. Tempore infirmitatis non licebit quidquam comestibile, vel potabile, ad Cellam, seu infirmariam immediatè portare, sed omnia ad cellarium & culinam communem priùs assignentur, deinde juxta indigentiam cuilibet ab infirmario distribuuntur, nisi infirmitates alicujus diuturnæ aliter exposulaverint.

4. Guardiani & Vicarii singulis diebus, alii autem frequenter infirmos visitent (extra tempus tamen silentii) eisquè obsequia solatii & charitatis exhibeant, caveantquè ne apud illos fiant garritus inutiles, & colloquia vana, in quo Frater infirmarius diligenter vigilare, Superioresquè monere teneatur. Bibere verò in infirmaria, seu apud infirmos nulli prorsus liceat; sub pœna jejunii in pane & aqua.

5. Fratres morbò correpti in locis Medici, & Pharmacopæi auxiliò carentibus, mittantur tempestivè ad Conventum similibus infirmariæ beneficiis benè provisum & instructum, priùs tamen requisitâ Patris Provincialis licentiâ (dummodo infirmitas non sit talis, quæ moram trahere sit majoris infirmitatis periculum, quia tunc sufficit licentia Patris Guardiani de consilio Discretorum, qui obedientialibus simul cum Guardiano subscribere debent) Guardianò etiam, ad quem mittendus erit, humaniter requisitò, cui deinde superior loci in cujus familia Frater infirmus morabatur expensas medicinales, vel chirurgicas compensare, pro aliis autem alimentorum, & charitatis obsequiis infirmo exhibitis gratias Religiosas exhibere teneatur.

6. Pro infirmaria deputetur certus Capellanus ad SS. Sacramenta infirmis administranda, cui Pater Provincialis facultatem absolvendi à casibus & Censuris concedat, alioquin infirmis de vita periclitantibus liberum sit cuicumquè ordinis Sacerdoti confiteri, à quo plenarium absolutionis beneficium etiam extra mortis articulum semel recipere possit.

7. Detestamur deniquè quorundam infirmorum periculosam fatuitatem, qui etsi per Sanctissimæ Regulæ professionem omnibus terrenis cum affectu habendi abnegatis tanquam pauperes & nudi meritoriè vixerunt in hoc mundo, tamen ex eo nudi discedere nolunt, sed propriâ voluntate, & quorundam crepundiòrum affectu vestiti coram tribunali Judicis æterni comparere non formidant, dum suæ sensualitatis nutrimenta, ut Rosaria, Imagines, & similia certis quibusdam post eorum obitum distribuenda relinquunt. Quapropter sub pœna carceris

ceris formalis ad triduum omnibus & singulis Fratribus nostris præcipimus, ne ullus audeat simile quidquam à moribundo nequè pro se, nequè pro aliis distribuendum recipere. Quod in primis cupimus ab infirmario non tantùm observari, sed etiam sollicitè impediri Superiore majori, vel si absit, locali admonito, cui Fratrum decedentium spolia erunt consignanda.

De Hospitibus.

§. III.

1. **C**ùm Seraphicus Pater in hoc Regulæ Capitulo suavissimè moneat, *ut ubicumquè sunt, & se invenerint Fratres ostendant se domesticos invicem inter se. &c.* omnibus Superioribus locorum meritò commendamus charitatem Fratribus Ordinis nostri præcipuè, tum etiam aliis, ubi fieri potest peregrinis, & advenis exhibendam.

2. Hospites Ordinis nostri mensam communem in Refectorio (nisi sint valdè debiles & lassi) accedant, saltem secundam pro prima vice, in quo Superior localis nullò modò dispensare possit sub pænâ arbitraria Patri Provinciali. Si autem tempore hyemali in die Jejunii adveniant, & privilegio charitatis indigeant, possint pro prima vice vesperi extra refectorium (siquidem in eo silentium observandum est, & Fratres ad fornacem se calefaciunt) refectionem sumere.

3. Hospites aliarum Provinciarum teneantur post tertium ab adventu suo diem chorum accedere, die, noctuquè, quòd si de hoc moniti parere reluctantur, remediis oportunis coarctentur, nec aliter in Conventu tolerantur, nec permittantur facillè simul exire, sed semper alteri eorum assignetur unus ex familia Conventûs. Et si venerint cum sæcularibus non permittantur ii in Conventibus nostris hospitari indifferenter, ad evitanda multa incommoda, & inconvenientia, quæ hæctenus experti sumus. Ista tamen non sunt intelligenda de Patribus gravioribus, & in Religione benè meritis.

4. Hospites Provinciæ nostræ, qui de Conventu in Conventum commigrant, teneantur post secundum adventûs sui diem chorum frequentare, ac vitam communem sequi. Qui autem extra Conventum sunt decem dierum spatiò ex sancta obedientia ac in ejus emolumentum operam & laborem suum impenderit, eis domum reversis exhibeatur charitas tanquam hospitibus.

5. Cùm etiam sæpè sæpiùs experientiâ compertum sit, nullam majorem occasionem transgressionibus & Scandalis apperiri, quàm tempore

pore comitorum ob abusum aliquorum hospitem, qui sub specie tractandi negotia in Aula, hinc inde per Civitatem divagantur petendo Eleemosynas etiam pecuniarias, non sine Benefactorum nostrorum magno gravamine & admiratione; Mandamus Patri Provinciali, ut tempore comitorum de Consilio Diffinitorum Patrem aliquem gravem & morigeratum, ac in negotiis gerendis dexteritate & experientiam ornatum constituat, qui tanquam agens, seu procurator negotiorum hospitem ipsis semper assistat, & comitetur. Neque ullus hospitem cujuscumque sit dignitatis & conditionis sine ipso aliquid in Aulis suæ Regiæ Majestatis, Palatini, aliorum Principum, vel Dominorum pertractare valeat, sub pœnis confusibilitatis &c. Superior verò localis nunquam hospites solos exire permittat, sed semper socium assignare teneatur, sive prædictum agentem seu procuratorem, vel alium ex familia, nisi essent Patres aliqui graves, & bene noti, de quorum religiositate nequaquam dubitari possit. Expeditis verò negotiis ad propriam Provinciam redire teneantur.

6. Non liceat ulli Superiorum quòcumque modò, aut viâ quemquam ex aliis Provinciis non reformatis in hanc admittere localem nisi causâ reformationis, seu Strictioris observantiæ amplectendæ, sub pœna suspensionis officii.

De pœnitentia Fratibus peccantibus imponenda.

CAPITULUM SEPTIMUM.

§. I.

1. **Q**uoniam Sacramentum Pœnitentiæ formam habet veri iudicii inter accusatorem, reum, & Judicem versantis, persuasum semper in Ecclesia fuit (ut S. Trid. Concilii Sess. 14. Cap. 7. verbis loquamur) & *verissimum esse synodus hac confirmat, nullius momenti absolutio-nem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem*: Hinc Fratrum Confessarium Ordinarium non alium esse, quàm eorum Superiorem ordinarium bene deducitur.

2. Cùm autem summus Pontifex Clemens VIII. prohibuerit Superioribus regularium Confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi spontè ac proprio motu id ab eis petierint; quilibet Sacerdotum & Laicorum Seniorum habeat Confessarium determinatum, cui ordinariè, quan-

tum fieri potest, confiteatur. Clerici verò & Laici juniores non possint unquam alteri confiteri, quàm proprio Magistro, sub pœna disciplinæ, & jejunii in pane & aqua. Et Sacerdos Fratrem juniorem contra hoc Statutum audiens, faciat & ipse disciplinam in publico resectorio per unum Miserere.

3. Pro casibus reservatis notoriis ad ipsum Patrem Provinciale, ut Regula jubet, recurrendum est. Pro occultis autem Pater Minister Provincialis constituat sive in Diffinitorio, sive in visitatione, sive aliàs, in quolibet Conventu duos, aut plures pœnitentarios, cum facultate absolvendi in foro conscientiæ, quàm diu morantur in illo Conventu, à quibus Fratres possint absolvi, secundum eorum necessitatem. Si quis verò horum pœnitentiariorum discesserit, succedat ei virtute hujus statuti antiquior Confessarius in Conventu, usquè dum Pater Provincialis providebit. Unde talem facultatem à reservatis absolvendi nulli Sacerdoti perpetuam, sed tantum pro loco & tempore determinatè concessam esse declaramus.

4. Concedimus quoquè in festis Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis MARIÆ, S. Patris nostri Francisci, Portiunculæ, & S. Antonii de Padua cuilibet Patrum & Fratrum libertatem sibi eligendi Confessarium aliàs approbatum, à quo beneficium absolutionis auctoritate P. Ministri Provincialis possit accipere etiam à casibus reservatis.

5. Tam Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarii, qui ad Superioratus gradum fuerint promoti, caveant diligentissimè, ne ex notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerint, ad exteriorè gubernationem utantur; si quis autem in hoc deliquerit, pœnis gravissimis puniatur, & confessiones audiendi facultate perpetuò Privetur.

6. Ex concessione Apostolica potest Minister Provincialis, vel ejus Vicarius absolvere tam subditos, quàm alios undecumquè recurrentes Ordinis ab omnibus peccatis commissis, vel in Ordine, vel in sæculo, ab omnibus casibus, vel censuris, sententiis excommunicationis, Suspensionis, & interdicti, exceptis hæreticis relapsis, Scismaticis, & litterarum Apostolicarum falsificatoribus, & iis, qui ad partes infidelium ferunt prohibita. Possunt etiam dispensare in omni irregularitate ex prædictis delictis contracta, sive quòd in locis interdictis Divina celebraverint, sive quòd Sacros ordines dictis censuris innodati susceperint, excepta irregularitate contracta ex Bigamia, & homicidio voluntario.

De Casibus Reservatis.

§. II.

I. **C**asuum reservatio in Ecclesia DEI antiquissima, & Sacrorum jure Canonum, & Sanctionibus Apostolicis, ac Sacri Concilii Tridentini autoritate etiam probata, & in nostra Religione ab ineunte Ordine usu recepta, prout in ipsamet Regula præscribitur; cum pœna sit delinquentium, piè decernimus, & Sancimus, ut in illis Casibus, quos reservatos esse, aut reservari contigerit, nemo temerè manum mittat, aut quemquam illis criminum vinculis irretitum absolvere præsumat, nisi ~~_____~~ Provinciali Ministro necessariam absolventi potestatem habeat.

2. Quot autem, & quales Casus reservati sint, constat ex Decreto Clementis. VIII. incip: *Sanctissimus Dominus noster, qui jam pridem,* &c. Datum Romæ apud S. Petrum. die 26. Mensis Maii Anno Domini 1593. Ubi sequentes casus declarat, Superiores sibi reservare posse, videlicet.

1. Veneficia, Incantationes, Sortilegia.
2. Apostasia à Religione, sive habitu dimisso, sive retento, quando eò perventum fuerit, ut extra Septa Monasterii fiat egressio, nocturna, aut furtiva, etiam non animò apostatandi facta.
3. Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale.
4. Juramentum falsum in Judicio Regulari, seu Legitimo.
5. Procuratio, auxilium, & Consilium ad abortum faciendum post animum fœtum, etiam effectu non secuto.
6. Falsificatio manûs, aut Sigilli Officiorum Monasterii, aut Conventûs.
7. Furtum de rebus Monasterii, seu Conventûs in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.
8. Lapsus carnis voluntarius opere consumatus.
9. Occisio, aut vulneratio, seu gravis percussio cujuscumquè personæ.
10. Malitosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum à Superioribus ad inferiores, aut ab inferioribus ad Superiores.

3. Cum autem idem Sanctissimus Pontifex in citato Decreto

§. I. in fine dicat: si quod aliud præterea peccatum grave pro Reli-

gionis conservacione, aut conscientia puritate reservandum videbitur, id non aliter fiat, quàm ~~Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia~~ matura discussione, & consensu. Ideò de Consilio & consensu Totius Capituli Provincialis adhuc infra scripti Casus reservantur.

11. Inobedientia contumax, quando nimirum subditus monitus ter per diem naturalem inobediens perseverat.

12. Compositio vel evulgatio, sive projectio libelli famosi, & ad hoc persuasio & inductio.

13. Falsa accusatio cum infamia accusati, aut calumnia facta in iudicio.

14. Manifestatio eorum, quæ infamiam Ordini, vel Fratri particulari inferre possunt.

4. Præsenti igitur ordinatione statuimus, quòd si qui Fratrum Divina permittente justitia, & antiqui hostis fallaciâ procurante (quod absit) præmemoratis criminibus, aut aliquo ipsorum fuerint irretiti, pro absolutionis beneficio ad præfatos Ministros vel eorum auctoritatem habentes, sinè mora recurrere debeant.

De Superioribus.

CAPITULUM OCTAVUM.

§. I.

1. Cùm regularis observantia ex Prælatorum exemplo maximè pendeat, præcipimus omnibus Superioribus, ut communem vitam agant in choro, refectorio, vestitu, & victu secundùm Sanctissimi Domini Nostri Clementis VIII. Decreta.

2. Et qui in prædictis communem vitam agere nequeunt, nullò modò eligantur, electi verò in quibus non fuerit spes roboris, & firmæ valetudinis, infra quinque, Menses ad communem vitam sequendam recuperandæ, ab officiis arceantur.

3. Nullus Superior Cellam sive in claustro, sive alibi à communi dormitorio Separatam habeat, sed unusquisquè unicâ cellâ, eademquè cellis Fratrum conjunctâ, nudis omnino parietibus, ac lectulò Stramineâ, & mensò humilibus, uniformiquè suppellectili, quemadmodum religiosam paupertatem decet, contentus sit.

4. In Ministrum Provinciale, nullus planè eligi possit, qui non sit in Provincia religionem ingressus, ~~& professus,~~ vel saltem decenniò ante

ante in ea non fuerit incorporatus. Insuper qui non fuerit in inferioribus gradibus exercitatus, specimenque regiminis præstiterit. Qui aliter electus fuerit, ejus electio sit nulla, & invalida, nisi dispensatio Apostolica, ~~vel M. S. C. G. accesserit.~~

5. Minister Provincialis obligatus sit, ad Provinciam quolibet anno bis, quantum per vires & Regulæ concessionem poterit, diligentem cum inspectione peragendam, & saltem semel, si sæpius non poterit, formaliter visitandam. Unde Officii sui tempus ita distribuere debet, ut in nullo Conventu majorem ejus partem consumat.

6. Non possit Fratres in aliam Provinciam mittere, nisi pro negotiis urgentibus in Vicinam tantum. Romam verò, ~~vel ad provinciam Superioris C. G. pro negotiis Provincie publicis de consensu majoris partis Diffinitorii juxta Decretum Clementis VIII.~~ mittere non prohibetur.

7. Provincialis Minister extra Provinciam octiduo commoraturus, teneatur instituere Commissarium, seu vice-Provincialem, sub pœna privationis officii.

8. Prædictus Minister Provincialis, teneatur notare diligenter in libro specialiter deputato, omnia acta, & determinata in Capitulis & Congregationibus. Item in alio causas decisas, & sententias latas. Nomina eorum, qui fuerunt incarcerati, judicialiter puniti, & Canonice admoniti, & hoc sub pœna privationis vocis activæ & passivæ per triennium.

9. Item Minister Provincialis, aut Commissarius Visitator Provincie dispensare non præsumat super sententiis à Diffinitorio latis, absque consensu majoris partis ejusdem Diffinitorii, ~~vel facultate sibi facta in scriptis à Ministro Generali, vel ejus Commissario totius C. G. tantæ familie,~~ qui contra fecerit, officii privationi subiaceat.

10. Virtute quoque constitutionum Apostolicarum Clementis VIII. Gregorii XV. Urbani VIII. & Sacræ Congregat. prohibetur sub pœnis excommunicationis latæ sententiæ privationis Officiorum, ne quis patrum præsumat habere, vel dare votum, sive electivum, sive consultivum sive decisivum, in Capitulis, vel Congregationibus, nisi sit actualis Minister Provincialis, Custos, vel Diffinitor, non obstante quacumque contraria alia consuetudine; & sub iisdem pœnis non possit Provincialis in Provincialem, Custos in Custodem, & Diffinitor in Diffinitorum reeligere, nisi sexenniò vacationis ab eodem officio transactò. Et durante eorum officio ~~juxta Constitutiones Generalis Ordinis, & reforma-~~

~~totum~~, non possint esse Guardiani sub pœna nullitatis electionis, & privationis officiorum Superioratûs.

11. Guardianus prima vice institutus, duret unum tantummodo annum in officio; nec possit immediatè institui Præsidentis, sive ejusdem, sive alterius Conventûs, sed vacet ab una ad aliam congregationem, seu ad anni unius interstitium, quantum per Provinciæ dispositionem fieri poterit. Secunda verò vice institutus duret ad biennium, vel triennium, si videbitur Diffinitorio, quò completô teneatur vacare, & interstitium unius Anni, seu unius congregationis ad aliam servare, dummodo in Capitulo aut Congregatione Capitulari alii reperiantur, qui ad officium Guardianatûs noviter institui possint, servatâ semper justitiâ distributivâ.

12. Vicarius Conventûs, cùm non sit Prælatus, sed Prælati vicem gerens, non potest aliquid sub obedientia cuiquam præcipere, quòd non sit aliàs obligatorium, seu fundatum in jure, vel consuetudine, aut Superiorum voluntate. Undè ad sanctæ Regulæ nostræ, & Statutorum, ac Consuetæ disciplinæ Regularis observantiam, præcipuè verò Divini Officii ter Sanctè persolvendî diligentiam manutenendam, & Superiorum voluntatem executioni mandandam, tanquam altera manus Guardiani adjungitur, & in his eidem omnes non secùs ac ipsi Guardiani obedire teneantur. Quòd si verò Guardianus à Conventu ad triduum absens fuerit, tunc Vicarius eò ipsò sit institutus Præsidentis, & gubernet, ut Superior localis. non possit tamen quidquam facere contra expressam voluntatem Guardiani etiam absentis, nisi tempus & necessitas aliter requirant de Discretorum arbitrio.

13. Nullus Lector actualis possit esse Guardianus, aut Vicarius Conventûs, nec Vicarius in Conventu Posonienfi & Tyrnavienfi possit institui, qui non habeat conditiones ad Officium Guardiani requisitas.

14. Guardiani ut in omnibus Capitulis & Congregationibus vim capitularem habentibus officiis suis singuli renuntiare teneantur, id sanè Statuimus, atquè adeò mandamus, si quis autem, Patrum judiciò de unò Guardianatu ad alterum transferatur, vel etiam destituatur officiò, de translatione, vel depositione hujusmodi conquestus fuerit, officiò privetur, Patrum arbitriò, & activa & passiva voce per triennium careat, ut Superioribus obedire, Publicæquè utilitati servire, & non proprio affectui morem gerere discat.

15. Porro si quis ob fraudem, aut violatâ castitatis notam, vel
cujus-

cujusvis generis scandalum Guardianatus officio privatus fuerit, ad illud ipsum, & aliud simile, ac alia quæcumque religionis officia imposterum perpetuò inhabilis existat.

16. Nunquam Guardianus simul & Vicarius à Conventu absint, nisi ex inevitabili necessitate, quo casu seniori aut Magistro chori, ad placitum cura Conventus committatur.

17. Nulli Guardianorum liceat cuiquam publicè in Ecclesiis nostris, minùs verò in alienis prædicandi potestatem facere, nisi priùs à Provinciali Ministro fuerit examinatus & approbatus, & ab eo sibi prædicationis officium concessum, nec eis liceat pro audiendis Sæcularium confessionibus exponere, sive ordinario præsentare, vel etiam ad Sacros Ordines promovere quemquam, nisi obtenta à Ministro Provinciali in scriptis facultate, qui nunquam generalem ad hoc, sed specialem solummodò toties quoties opus fuerit, concedat.

18. Nulli præterea Guardiano, licebit quempiam incarcerare, si autem quis tale delictum commiserit, propter quod pœnam carceris mereatur, declaramus, & determinamus per locorum Superiores de Discretorum Consilio posse tutò locò, ne effugiat, sub custodia detineri, donec per Patrem Provinciale, quid superinde agendum sit, determinatum fuerit. Quo casu etiam comprehendi volumus eos, qui alterius Conventus, vel Provinciæ fuerint. Nec Guardianorum quisquam præsumat sinè facultate Ministri Provincialis, Patri vel Fratri Caparones appendere.

19. Nullus Guardianorum posthac subditis suis ex terminis sui districtus, intra quem solent Eleemosynas quærere, exeundi licentiam dare audeat, sub pœna Apostasiæ, quam incurrit abiens, & privationis officii, quam subibit Superior hoc modo mittens. Urgente tamen causa, seu necessitate Conventus Guardiani de consilio & consensu Discretorum similem facultatem Fratribus dare possint ad loca viciniora.

20. Superiores locales nullum ædificium notabile erigere vel destruere, nec expensas viginti florenorum valorem excedentes, sive in fabricis, sive in Capellis ornandis facere, nec arbores vivas succidere possint, nisi priùs habitâ licentiâ in Scriptis à Superiore majori.

21. Discretos Conventuum declaramus tres, in majoribus Conventibus quatuor Sacerdotes, in tabula Capitulari designandos. Lectores autem & Concionatores, qui decimum quintum annum in religione compleverint, & religiosè semper vixerint, inter Discretos

computari, & in defectu vel absentia designatorum ad consultationes vocari volumus. Horum Discretorum quilibet teneatur Separatim Patri Provinciali scandalum publicum, quàm primùm fuerit commissum per litteras indicare, rem narrando simpliciter, secùs officiis Ordinis ad triennium eò ipsò privatus existat. Horum autem litteras Superior manifestare nullo unquam tempore possit, sub nota infamiæ ad instantiam partis infligenda, nisi causæ deductio id jure expostulet.

22. Præsidens, sive alii novorum Conventuum Superiores non audeant immutare quidquam tum quoad materiam, tum quoad formam, amplitudinem, & pretiositatem fabricæ, sed omnia ædificari curent ad formam à Superioribus de consensu totius Diffinitorii, & Patrum Provinciæ præscriptam sub pœna privationis officii.

23. Gravioribus incommodis nonnunquamquam hætenus emergentibus obviare volentes Statuimus, & sub inobedienciæ pœna præcipimus Superioribus localibus, ne cuiquam sæcularium cujuscumquè Ordinis & Statûs fuerit, monumentum & Epitaphium in Ecclesiis nostris poni vel erigi permittant, nec sepulturam, vel appropriationem alicujus Capellæ alicui integræ familiæ concedant sinè Patris Ministri expressa facultate, qui Consilium totius Diffinitorii petere teneatur, ejusquè erit diligenter cavere, ne per hujusmodi inscriptionem, aut Epigraphen aliquod Conventui, Provinciæ vel Religioni præjudicium inferatur.

24. Præterea cum ob cistas Clenodiorum ac thesauros receptos in Conventibus pro majori securitate eorum graves confusiones passissimus, sub suspensione ab officio imposterum à Guardianis, & aliis Superioribus nullatenus recipiantur: si tamen receptio talium absolute denegari non posset sinè gravi benefactorum offensa, & abalienatione, fiat cum protestatione, se velle quidem dare locum, sed nolle se obligare ad custodiendum, nequè ad dandam rationem, si casu quo amittantur, & super hoc accipiant recognitionales ab iisdem sæcularibus.

25. Clenodia etiam & thesauri Conventuum ubi habentur, rependantur in loco tuto sub fornice, & nullò modò in cella Guardiani: sub duplici quidem clave, quarum alteram habeat Guardianus, alteram Senior discretus, qui eam in sua absentia succedenti discreto consignabit.

26. Pro Archivio quilibet Superior localis deputet locum tutum,
muni-

munitum, & Scriptis conservandis idoneum, in quo omnia instrumenta litteralia, Registrum, sive Protocollum rerum notabilium, ac inventaria Sacristiæ, & Bibliothecæ sub duplici clave ut supra de clemodiis dispositum est, asservantur. Omnium verò Scripturarum in eo collocatarum, & registorum, copiam authenticam Sigillò Conventûs munitam, cum subscriptione Guardiani, & Discretorum loci Patri Ministro Provinciali transmittant: qui alium locum similem pro conservandis scriptis &c. totius Provinciæ habere debet, cujus unam apud se retineat, altera verò maneat sub potestate Guardiani loci, & hæc omnia sub pœna privationis officiorum.

27. Benefactorum nostrorum debitæ memoriæ, & nostræ gratitudinis exhibendæ causa, Superioribus localibus, sub pœna privationis officii mandamus, ut in uno Codice describi faciant, omnes Eleemosynas pecuniarias, quocumquè modo Conventui erogatas, præsertim verò illas, quæ ex aliqua, quasi obligatione provenerunt. Ideò nec Guardianus quilibet pro sui officii tempore novum simile registrum effingat, sed antecessoris sui opus ceptum continuet, & antiqua, Conventum quomodolibet concernentia, Scripta conservet, ut posteritati prospiciatur.

28. Quocirca demum Statuimus, ut visitatori post visitationem Conventui intimatam Superior localis statim tradat Sigilla Conventûs, inventaria Sacristiæ, Bibliothecæ, ac communis supellectilis, Registrum Archivi, & deniquè Eleemosynarum computum, cum hoc benefactorum codice.

29. Sigilla Conventuum nullus Superiorum mutare audeat, quoad formam, figuram, inscriptionem, & quantitatem, cum jam omnia ad debitam formam sint redacta.

30. Guardianatus titulò nullus insigniatur locus, nisi constet tantæ Ecclesiæ parte jam erecta, ut in ea Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum decenter asservari queat, habeat Refectorium, & duodecim saltem Cellas, cum duodecim Fratribus ibidem habitantibus.

De Prædicatoribus, Lectoribus & Confessariis.

CAPITULUM NONUM.

§. I.

I. Pater Minister Provincialis per decursum visitationis Canonicæ exactam informationem petat & recipiat à Patribus Guardianis,

F

Lecto-

Lectoribus & Discretis, de pietate & Idoneitate Lectorum, Concionatorum, ac Confessariorum, quæ informatio in Scriptis detur.

2. Lectores, Concionatores, & Confessarii noviter instituti teneantur juxta Bullam Pii V. professionem fidei in manibus sui Superioris majoris vel localis ex ejus delegatione emittere secundum formam Concilii Tridentini, antequam sua exerceant officia; Lectores Generales, & Lectores actuales: Item Concionatores Generales, & Concionatores Ordinarii servant inter se præcedentiam secundum antiquitatem habitus, Lector tamen Generalis, vel Theologiæ actualis præcedat Concionatorem Generalem.

3. Lectores teneantur interesse singulis diebus, vel meditationi matutinæ, vel recollectioni vespertinæ post completorium, & etiam disciplinæ feriæ Sextæ. Porro Lectores tempore quo docent à choro exemptos declaramus; teneantur tamen in festis primæ & secundæ Classis, nec non Beatissimæ Virginis Mariæ, & ordinis nostri principalioribus ad Matutinum & Vesperas comparere, nisi velint negligentes publicam subire confusionem.

4. Teneantur Lectores Sacro-Sanctæ Theologiæ infra quatuor annorum Spatium absolvere, & tradere omnes materias in quatuor libris sententiarum Scoti comprehensas, non quidem litteram explicando, sed ex ea doctrinam eliciendo; & ut Studiosorum profectui magis consulatur, teneantur circa materiam in Schola tradendam Patris Ministri Provincialis consensum, & beneplacitum requirere; Porro artium & Philosophiæ Lectores teneantur cursum Philosophicum integrum intra Spatium duorum annorum absolvere.

5. Nunquam ab exercitiis Scholæ desistant, nisi legitimè impediti, causa Superiori majori manifestata. Unde singulis Mensibus materiam traditam disputationi subjiciant, monitis & invitatis Superioribus, ac aliis ad opponendum Lectoribus: & ubi duo sunt Lectores ejusdem facultatis, semper uterquè sub pæna amotionis compareat ad Scabellam, & disputationes. Impressas quoquè Theses singulis annis defendant, prout Superiores ordinaverint, & ne Votum Altissimæ paupertatis transgrediantur, Prohibemus, ne Scutis novis, sed veteribus, & jam aliàs impressis utantur, qui autem Lectorum prædicta non observaverit, Lectura privetur.

6. Lector Theologiæ moralis legat quotidie bis, & exercitia disputationis pomeridiana privata faciat; Publicas autem disputationes cum extraneorum invitatione omittat, gaudeatquè privilegiis, & exem-

exemptionibus à choro , sicut alii Sacrosanctæ Theologiæ Lectores. Quia verò virtutis stipendium honor est , innixi Cæsarearum Reformatarum Provinciarum praxi , decoramus , & declaramus Lectorem emeritum , qui per tres annos integros Philosophiam , & per decem absquè ulla interpolatione , aut per duodecim cum interpolatione Sacram Theologiam Speculativam docuit , cum titulo Reverendf , Privilegio subrogationis , & præcedentiâ immediatè post Diffinitores actuales.

7. Prædicatores , quorum est annunciare vitia & virtutes cum brevitate sermonis , caveant , ne suis moribus videantur in mundo destruere , quod verbis in cathedra conantur extruere ; Ideoquè conversationes profanas evitent , Sobrietatem sectentur , Crapulam fugiant , Quòd si quis scandalum (quod DEUS avertat) sæculo dederit , officio prædicandi privatus perpetuò existat : si autem vaniloquio deditus erit , & à Superiore monitus non se emendaverit , ab officio prædicationis amoveatur , usquè dum emendatus inveniatur.

8. Si quis ausus fuerit contra personam particularem , vel Religiosorum Ordinem , aut Ecclesiæ Prælatum populo prædicare ; siquidem ibi scandalum , aut tumultus exoriri possit , prædicationis officio è ipso privatus existat , vel severiùs castigetur ad arbitrium Diffinitorii.

9. Nemo ad Sacram Verbi DEI prædicationem admittatur , nisi Sacerdos vel Diaconus sit , & de ejus integritate vitæ , competenti doctrina , ac probatis moribus testimonium bonum habeatur. Nec ullus audeat populo prædicare , nisi cui officium prædicationis à Superiore majore fuerit concessum.

10. Concionatores , cum in istis partibus hæresi infectis singularis requiratur labor , in concionibus faciendis , rigori chori non adstrictos declaramus , ita tamen , ut orationi mentali matutinæ , nec non vespers diebus non Concionum , ac semel disciplinæ singulis septimanis interesse teneantur. In festis quoquè Primæ & Secundæ Classis : Beatissimæ Virginis Mariæ , & Ordinis nostri principalioribus , diebus non Concionum ad matutinum compareant.

11. Prædictis privilegiis gaudere volumus solùm Concionatores Ordinarios , cæteri verò Concionatores nullâ gaudeant præcedentiâ , & ad frequentandum chorum adigantur. Concionatores autem ordinarii declarantur ii duntaxat esse , qui singulis diebus Dominicis , vel aliquâ feriâ infra quamlibet hebdomadam ordinariè ; Item illi qui

Dominicis Noviluniaribus & omnibus festis: Item qui omnibus festis, & quadragesimâ simul concionantur.

12. Patres Concionatores, qui duodecim annis fuerint Concionatores ordinarii, gaudeant titulô & prærogativâ Concinatoris Generalis; Concionatores quoquè Ordinarii domestici præcedant se secundum antiquitatem habitûs.

13. Confessiones mulierum nullus audire præsumat sive in Sacristia, sive in alio loco separato, nec extra confessionale laminâ ferreâ vel ligneâ munitum, nisi de licentia Superioris expressa, quæ nunquam est concedenda, nisi in casu maximi concursus populorum, vel surditatis, aut alicujus infirmitatis causâ.

14. Confessiones tam Fratrum juvenum, quàm sæcularium non audiuntur ordinariè in Cellis, sed in locis ad id destinatis sub pœna in statutis generalibus imposita, in casu tamen, quo Confessarius ægrotus in lecto decumberet, Confessiones sæcularium ibi excipere possit.

15. Confessarii Monialium intra septa monasterii ingredi non possint, nisi in Casibus à jure concessis, inter quos connumerantur infra scripti, videlicet: necessitas confessionum audiendarum, Sanctissimæ Communionis, Extremæ unctionis, & comendationis animæ in articulo mortis tantum, & hoc de consensu Guardiani singulis vicibus impetrato, ac cum socio maturo, sub pœna excommunicationis Latæ sententiæ ipsô factô incurrendæ, Superioriquè majori reservatæ.

16. Lectores, Prædicatores, & Confessarii, etiam si à Superioribus debite fuerint examinati, approbati, & admissi, tamen semper nominentur in Tabula capituli, vel Congregationis, ac in libro actuum capitularium & Congregationum notentur, & in archivio Provinciæ reserventur sub pœna nullitatis, ita, ut nisi fuerint hõc modô libro seu tabulæ semel inserti, non censeantur legitimè admissi, sed ab executione sui officii sint suspensi.

De admonitione & correctione Fratrum, eorumquè conversatione Clausurali.

CAPITULUM DECIMUM.

De Correctionibus.

§. I.

I. **F**Ratres qui sunt Ministri, & servi aliorum Fratrum, nimirum Superiorio-

periores tam locales quàm provinciales, juxta præscriptum Regulæ eos visitare, monere humiliter, & charitativè corrigere debeant, Statuimus, ut si quis alicujus criminis reus (modò non sit cum scandalo publico) ac pœnitens faciem Prælati, antequam de eo accusetur coram testibus, confessione spontanea prævenierit, Provinciales de plenitudine potestatis & gratiæ, à pœnis debitis de prædictorum testium consilio, Fratrem pœnitentem quo ad forum exterius quietare valeant (ut habent Statuta generalia) aliâ quacumquè minùs confusibili, ac salutari pœnitentiâ eidem imposita. Volumus tamen id de primo recurſu intelligi, & semper cum protestatione, quòd si in eadem crimina, de quibus fuerat quietatus, relabatur, ad statum pristinum reducatur, si de relapsu hujusmodi sufficiens habeatur probatio.

2. Ad Bonifacianæ constitutionis observantiam declaramus, ad rimas & apices, seu solemnitates juris non teneri, ut sunt citatio non feriatâ, libelli porrectio in scriptis, litis contestatio, testium multitudo, prolixæ dilationes, testium post publicas attestaciones receptio, sententiæ sedendo prolatio, citationum intervalla, interlocutoriæ, & hujusmodi, quæ ad essentialiam juris non spectant. Non tamen possunt in actis judicialibus pro eorum arbitrio procedere, sed jure divino, & naturali ad essentialia juris tenentur, sub pœna nullitatis actuum, & privationis officii, ~~prout disposuit pater noster in capitulo 2. de officio Prælati in Romano Anno Domini 633. qui annuo & ad apicem confirmavit hoc Decreto D. Felicis 4. in 1. c. 1. de officio Prælati in 633.~~

3. Omnes Patres & Fratres exceptis Patribus Provinciæ Emeritis, & Diffinitoribus actualibus & habitualibus ter in hebdomada nempe feriâ Secundâ, Quartâ, & Sextâ (demptis diebus festivis) petant coram Superiore, vel ejus Vicario suam culpam de omnibus defectibus & negligentis suis, pœnitentiâ præstolando propter DELUM, caput ad terram demittant, & correctionem humiliter acceptent; si verò Superior localis unum tantùm corrigit, alii interim se erigere possint: hac occasione Superior localis semper eis injungat aliquam pœnitentiâ, saltem aliquot Pater noster. De gravioribus autem & publicis defectibus dicat ultro suam culpam quilibet sub proxima refectione, præsertim si in divino officio errorem, aut quidquam inordinatum admiserit.

4. Capitulum autem feriæ Sextæ non possit Guardianus, sive Præsidentens Conventûs suo Vicario committere, sed id ipsemet celebret sub

pœna Patri Provinciali arbitraria. In hoc teneantur omnes omninò Patres & Fratres subditi (exceptis hospitibus alienæ Provinciæ, & nostræ pro prima vice) quacumquè dignitate fulgeant comparere, & culpam suam agnoscere. Mandamus autem Superioribus localibus, ne aliquem Patrem gravem, ut Diffinitorem actualem, aut officio Provincialatûs functum, publicè confundant; quinimò Superiores omnes universim admonitos esse volumus, ut in arguendis Fratribus, & pœnitentiis imponendis à contumeliis, improperiis, injuriis, & calumniis vel maximè abstineant: nec etiam concitatè (nisi quantum Zelus DEI secundum scientiam suaserit) sed animò per omnia sedatò, gravibus verbis, severitate oportunâ, paternæ misericordiæ conjunctâ, reprehendant & arguant; ac memores salutaris moniti sancti Patris nostri Seraphici Francisci, cum misericordia pœnitentiam injungant, nullius confusionem desiderent, sed tantum DEI Gloriam & animarum salutem se quærere verbis & factis ostendant.

5. Qui Fratris crimen, quod legitime probare non potest, alteri quam Prælato proprio propalaverit, pœnâ talionis mulctetur. Quare distriçtè prohibemus, ne quis sub Sigillo confessionis, aut Secreti quidquam dicat, quod in alicujus infamiam vergat, vel inter Fratres diffensionem, vel scandalum generet, sub pœnis gravissimis ad arbitrium Superioris.

6. Fratris delictum ex charitate & Zelo Superiori manifestans, non tenetur ad illud probandum, sed si opus fuerit, ad juramentum præstandum. Qui verò delictum Fratris ad Superiorem detulerit eò fine, ut Frater castigetur, vel si castigatus non fuerit, ipse delator murmuret & conquærat, ad probationem sub pœna talionis adstringatur.

7. Qui divisiones inter Fratres, Prælatorum depositiones, aut peccata in Ordine correctâ, vel corrigenda, discordias, & quid quid deniquè in infamiam Ordinis vel Provinciæ, seu Conventûs vertitur extra quovis modo divulgaverit, eò ipsò excommunicationem Latæ sententiæ, & privationem actuum legitimorum, & inhabilitatem ad quacumquè officia in religione obtinenda incurrat; supra quod Superiores Provinciales & locales omni studio & diligentia invigilare debent, ut similibus detrahentium & murmuratorum notitiam habere possint, & si juridicè quem convictum invenerint, ipsum rigorosè processare teneantur sub pœna suspensionis ab officio.

8. Qui extra Diffinitorium manifestaverit, quæ in eo tractantur; unde

unde diffensiones & odia in Diffinitorium, vel Diffinitorem aliquem oriantur, aut oriri possint, si de ea re legitimè constiterit, actibus legitimis ad sexennium privatus irremissibiliter existat.

9. Si quis Fratri non Prælato verbum improperii, vel convitii dixerit, aut leviter quemquam provocaverit, flagella disciplinæ singulis vicibus in comunitate Fratrum per integrum miserere sibi adhibeat.

10. Si verò in Prælatum talia verba protulerit, disciplinæ addat jejunium in pane & aqua genuflexus, & suffragiorum jure bienniò careat.

11. Qui Prælato suo in culpa, vel in mensa coram communitate non habitâ prius licentiâ responderit, voce activa & passiva per triennium privetur, & domui disciplinæ mancipetur, vel per menses integros tres quotidie coram Superiore culpam dicat.

12. Improperans Fratri delictum, de quo aliàs fuerat punitus, pœnam talionis subeat.

13. Qui Fratri vel alteri minabitur in persona, probationis Capucium per mensem deferat, & carceri mancipetur. Si manum leverit, vel aliquid ad percipiendum acceperit, aut percusserit, puniatur secundùm Statuta ~~Capuciorum, & Religiosorum~~.

14. Si quis pecuniam apud se portaverit, vel illicitè contrectaverit, vel in sua cella, vel alibi retinuerit, triduò carceri irremissibiliter includatur.

15. Si quis ebrius fuerit, per triduum vinò careat, si autem hoc scandalosè fieri contigerit, quindecim diebus à vino abstineat, & domum disciplinæ pro qualitate scandali inhabitet, quòd si eundem sæpiùs relabi contigerit, ei perpetuò vinum interdicator; nam extremo morbo extrema debet adhiberi medicina, & in hoc non liceat Superioribus localibus dispensare, sub pœna talionis, sed tantùm Ministro Provinciali.

16. Quandoquidem per murmurationes offendimus DEUM & proximum, ac animas nostras, declaratur, quòd si quis defectuosus deprehensus fuerit, incarceretur ad arbitrium Superioris majoris, præcipuè si contra Superiores hoc attentare præsumpserit.

17. Si quis inventus fuerit resignare officium sibi à Superiore etiam locali impositum, statim in domum disciplinæ in pane & aqua per mensem irremissibiliter includatur, nec liberari indè possit, nisi priùs tale officium sibi restitui humiliter petat, simpliciterquè obediat in eo quod ei fuerat injunctum.

18. Si

18. Si quis pœnitentias à Superioribus localibus impositas subire reluctatus fuerit, vel ad alium Superiorem in causa correctionis appellaverit, in domo disciplinae includatur, pœnasquè sibi impositas duplicatas persolvat. In quo, & maximè in casu appellationis servetur Decretum Eminentissimi quondam Protectoris, cujus tenor est talis, videlicet:

Nos Pompeius miseratione Divinà (tit:) Sanctæ Balbina Sacra Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Arragonius totius Ordinis Sancti Francisci de Observantia Fratrum Minorum Protector, Corrector, & Gubernator; ut Fratres Minores de Observantia purius, & sincerius in fervore Spiritûs & altissima humilitate Domino inservire valeant, & quæcumquè occasiones transgressionum tollantur, ordinamus & decernimus, ut quando à , Ministris Provincialibus, Custodibus, Guardianis, aliisque Superioribus localibus vel Regularibus Sancti Francisci de Observantia Minorum pro culpis levibus disciplina, vel alia pœnitentia in Refectorio, vel alibi facienda subditis mortificationis gratiâ imponitur, nullus eorum, quibus talis pœnitentia injungitur, ad nos sive alios Superiores Regulares nobis subditos appellare possit. Si quis autem contra fecerit triduo carceri mancipetur, & in pane & aqua jejunet. Item si quis pœnitentias impositas à prædictis Superioribus revelaverit aliis, quàm suis Superioribus, pœna inobedientiæ subjaceat. In quorum fidem &c. Datum Romæ in adibus nostræ Residentiæ die 14. Aprilis, Anno Domini 1606.

Pompeius Cardin.

Arragonius Protector.

19. Quicumquè Fratrum quærelam contra Superiorem apud quamcumquè personam extra Ordinem protulerit, excommunicationis sententiâ innodatus existat, non aliter quàm si contra Constitutionem Gregorii XIII. quoniam verò extra ordinem: appellare præsumisset.

20. Dissolutus moribus qui fuerit, vel circa eundem defectum (præsertim circa negligentiam in oratione mentali, & SS. Sacramenti Confessionis & Communionis frequentationem) aliquoties monitus non se emendaverit, & quasi incorrigibilis effectus fuerit. Si Sacerdos Senior sit, à celebratione Missæ suspendatur, junior ad mortificationem & functiones Clericales adstringatur, culpamquè cum aliis semper coram Superiore dicat; Clerici verò & Laici ad Novitiorum statum reducantur, quod si nec sic emendatio sequatur, de Superiorum majorum judicio coerceantur.

21. Qui de eodem delicto convictus & punitus tertia vice fuerit, & se non emendaverit, carceribus mancipetur in perpetuum (si causa gravis fuerit) aut mittatur ad tryemes, aut expellatur ab Ordine juxta decretum de ejectis & Apostatis.

22. Has pœnas enumerasse sufficiat, alias videre poterunt Superiores ~~in Sacris Canonibus & probatis legibus~~, ex Sacris Canonibus & probatis legibus, ac consuetudinibus elicere, prout ratio suaserit.

De Conversatione Claustrali.

§. II.

1. **S**acrum & regulare Silentium in Choro, Ecclesia, Sacristia, Refectorio tam ad primam, quàm secundam mensam (ne multiloquium fervorem devotionis extinguat) firmiter & perpetuò servandum præcipimus, & mandamus. In mensa dispensari nunquam possit, nisi in præcipuis solemnitatibus sive festis primæ classis, aut aliàs ex urgenti causa, & tunc saltem per dimidium horæ lectio duret, Superioribus localibus seridò præcipimus sub pœna Superiori majori arbitraria.

2. Post prandium redditis gratis & aliis de more persolutis conceditur una hora colloquio (nisi impendenda sit in cantûs exercitio) quâ elapsâ detur signum silentii.

3. Vesperi inchoetur silentium tempore æstivo horâ octavâ, hyemali mediâ octavâ, diebus jejunii in æstate eadem: in hyeme horâ septimâ duraturum usquè ad primam canonicam diei sequentis.

4. Cùm Refectorium calefieri solet servabitur in eo Silentium continuum, ne quisquam sive in Studendo, sive in orando turbetur, præterquam unâ horâ post cœnam, quâ tamen nec Strepitus, nec garritus multùm audiatur.

5. Non tantùm linguâ servetur silentium, sed etiam gestu & incessu, unde eo durante non audiatur Calepodiorum sonitus aut Strepitus ullus sub gravi pœna contravenientibus subeunda.

6. Tempore meditationis & silentii nullus Patrum aut Fratrum compareat extra Cellam, multò minùs in ambitu, seu inferiori parte Monasterii sub pœna disciplinæ per Miserere, nequè aliquis loqui pergat cum aliquo sæcularium, etiamsi ante tempus meditationis vel silentii colloquium inceperit, nequè janitor hoc tempore quemquam patrum aut Fratrum vocet ad portam sub pœna jejunii in pane & aqua, nisi venerit persona magnæ authoritatis, aut subveniendum esset personæ moribundæ.

7. Datò signò silentii æstivo tempore, omnes ad Ecclesiam se recipiant, & examen conscientix faciant, juxta antiquam & Sanctam Religionis nostræ consuetudinem, tempore hyemali id cuiquè in Cella peragendum relinquitur.

8. Tam prandio, quàm cænæ præmittatur secretò *Pater noster & Ave Maria*, cum Psalmo *Laudate Dom̃. omnes* &c. genibus flexis & extensis Brachiis: deinde stando clarâ voce *De profundis*, cum ordinaria Benedictione.

9. Ad prandium ac item ad cœnam pulsu factò Patres & Fratres omnes, etiam Superiores Provinciæ, quocumquè nomine vocentur commune adeant Refectorium, simulquè omnes ibidem eodem pane, eodem vinò, eisdemquè ferculis seu cibus in communi mensa utantur juxta constitutiones Clementis VIII.

10. A prima mensa nullus se abstrahat, sed si legitimè impeditus fuerit, causam Superiori manifestet; permittimus tamen, quòd si alicui Patri, sive à filiis spiritualibus, sive aliis piis benefactoribus ex devotionis affectu, non autem ex patris petitione aliquid cibi aut potus ad Conventum mittatur, ex eo Superior tali Patri portionem particularem in mensa publica præ aliis assignare possit.

11. Lectio Sacræ Scripturæ, & aliorum librorum utilium in mensa indispensabiliter habeatur, legentquè ad mensam omnes Patres & fratres officiis non impediti, ita ut primò tanquam Lector ordinarius legat aliquis ex Clericis vel Sacerdotibus, deinde pro sequenti lectione Superior localis, quem voluerit deputet, aliiquè pro ut sedent legendo prosequantur. Ultima autem Lectio fiat vel de regulæ expositione, vel de casibus.

12. Ad servandam etiam paupertatem & sobrietatem religiosam omnes ad mensam primâ vini portione sint contenti, nec secunda addatur, præterquam tempore carnis privii ter vel quater. Concedimus tamen subinde unam scutellam in majoribus solemnitatibus pro refocillatione infundi posse. Tempore silentii nullus alteri in mensa propinet cum signis, seu per nuntium sub pœna disciplinæ, nisi honoris causâ, & versùs extraneos humanitatis officium id exigat.

13. Tempore Phlebotomiæ possunt ea die, qua medicamentum purgativum sumunt, ea die quâ sanguinem emittunt in infirmaria comedere, & deinceps Refectorium accedere, saltem ad secundam mensam, ubi Superior localis eos cum charitate cibus competentibus secunda etiam die refici curabit. Tertia die poterit exitus indulgeri ad aërem sanitatis causâ captandum (si bonum judi-



judicaverit Medicus) alioquin post secundam minutionis diem nulla gaudeant exemptione.

14. Permittimus etiam hoc nostrò statutò, quòd Superiores locales ante festum omnium Sanctorum, nec non ante Dominicam quadragesimæ ter vel quater silentium dispensare, & aliquam recreationem per triduum (sinè Strepitu tamen & tumultu) Fratribus concedere possint. Præsentationes verò & Comœdias seu tragedias quascumquè, totaliter prohibemus.

15. Ad Refectorium nostrum nullus admittatur Sæcularis, nisi sit singularis Benefactor Conventûs, vel Religionis. Porro ne cum dedecore nostro connumeremur iis, qui non Christo Domino serviunt, sed ventri suo, prohibemus omnino commestationes, extra ordinaria convivia & sumptuosa, maximè in festis ordinis nostri. In festo præsertim Sanctæ MARIE Angelorum, seu Portiunculæ nemo invitetur ad prandium, maximè in Civitatibus & oppidis, sed cibus Ordinariis Fratres contenti sint, eò quòd per tales commestationes & computationes nos retrahamus sæculares, & sæculares nos ab indicibili thesauro toties quoties lucrandi Indulgentias plenarias tam pro vivis, quam defunctis.

16. Nullus etiam Fratrum redditis gratiis remaneat in Refectorio cum sæcularibus, vel hospitibus, nisi quem Superior deputaverit, sub pœna disciplinæ, vel etiam majori juxta exigentiam facti.

17. Quandoquidem Christus Dominus fuit flagellatus tota die pro nobis, & castigatio ejus in matutinis ob scelera nostra, statuitur, ut singulis hebdomadibus, exceptis festis primæ & secundæ Classis, & octavis festorum Sabbaoth, feriâ secundâ, quartâ & sextâ post matutinum noctu disciplina fiat, recitando Psalmos *Miserere*, & de *Profundis*, cum antiphona *Christus factus est*, & oratione *respice* &c. deinde antiphonam de B. V. MARIA occurrentem, cum tribus orationibus. In triduo autem hebdomadæ sanctæ dicatur ter Psalmus *Miserere* & De *profundis*, antiphona *Christus factus*, cum oratione *respice* &c. Porro ad testandam mutuam Fraternali charitatem ordinamus, ut pridie Cœnæ Domini ad sermone post disciplinam immediatè in amplexu Fraternali & Seraphico unus ab altero, nemine dempto, veniam offensæ & erratorum in Fratrem humiliter postulet, ut DEUS dimittat debita nostra, sicut nos dimittimus ex corde Fratribus nostris.

18. Cum mulieribus ad portam conventûs vel in Sacristia aut Ecclesia loqui nulli liceat, præterquam concionatori ordinario, & confessorii

fessariis, Senioribus, nisi de licentia Superiorum, quod tamen rarò & pro brevi Sermone concedatur.

19. Statuimus quoquè, ut nulli subditorum liceat mittere, aut recipere litteras, nisi ratione negotii, bonum commune, vel particulare concernentis, priùs Superiori tam mittendas, quàm recipiendas, illas apertas, has vesò clausas exhibeat; Superior autem ambas legere (nisi sint patrum graduatorum, vel à subdito ad Superiores, & vice versa) ac officii sui sigillo obsignare debet. Ideoquè nulli Sigillum privatum habere liceat, nisi Patribus Provinciæ.

20. Nullus subditus cellam habeat ita clausam, ut ad eam non pateat Superiori liber ingressus, cui etiam clavem resignare teneatur quilibet extra Monasterium pernoctaturus. Cistam quoquè seu Capsulam nullus habeat præter Superiores, Lectores, & Concionatores propter eorum scripta, nec cui cellam cum fornace tempore hyemali calefaciendam ex officio competere declaramus, nisi Superioribus, & Provincialatûs officio functis. Item Lectoribus actualibus Theologiæ & Philosophiæ, ac Concinatoribus Conventuum ordinariis, seniculis, vel quibus Superior concesserit ex legitima causa.

21. Nullus subditus possit ingredi cellam alterius eo absente, nec ex ea quidquam auferre sub pœna disciplinæ per Miserere, & alia graviore ad arbitrium Superioris localis.

22. Singilatim suo quisquè lecto cubet, nequè ullibi duo in eodem lecto dormire possint. Lecti autem omnes ad eandem formam sint redigendi, qui straminei esse debent (exceptis lectis pro infirmis & hospitibus) non obstante quocumquè privilegio. Nullus etiam audeat dormire sinè habitu vel tunica, Capucio, chorda, & brachis; transgressor prima vice faciat disciplinam in Refectorio; relapsus puniatur ad Superioris arbitrium.

23. Balneationes in thermis, & potus acidularum omninò non admittantur, nisi de ordinatione Medici, Guardianus verò Fratris hoc modo euntis ad balneum supposita facultate Patris Provincialis omnes sumptus solvere teneatur: Guardianus verò loci sub gravi pœna invigilare debet, num balneans secundùm præscriptum Doctoris usus sit semper balneo, an non? interim balneans, si Pater est, Missas celebret ad Intentionem Conventûs unde est. Omnes etiam Fratres post tertiam quamlibet hebdomadam in æstate, in hyeme post quartam radantur novaculis secundum Statuta Ordinis Generalia, ita ut corona clericalis non sit latior tribus, nec minor duobus digitis minoribus, Barba verò intra prædictum tempus radatur.

24. Ad hæc, cùm modestia, præcipuè linguæ, & oculorum mortificatio in Religiosis maximè & ubiquè desideretur, ordinamus, & seriò adhortamur in Domino omnes Patres & Fratres, ut ubiquè, & semper, cùm loqui concessum est, Religiosè, & submissè loqui asvescant, nullusquè alterum tuizet, aut appellet aliquo nomine ficto, vel diminuto, & semper nomini Religioso præponat Pater vel Frater; à garritu & risu abstineant, sed capite recto, oculis in terram demissis, pacem, devotionem, & Sanctam humilitatem præferre in omnibus gestis satagent. In incessu quoquè pedetentim, cum gravitate, sine calepodiorum sonitu incedant; manus quoquè & brachia non habeant pendula tabelliariorum more, sed sive loquantur, sive ambulent, sive publicè orent (præsertim ad sæcularium mensas) manus semper habeant manicis insertas, idquè sibi persuadeant esse magis decorum coram mundo, sicut & magis acceptum coram Domino, si corda sursum erigant, quàm si nudas manus ad cælum elevent, ut idcirco omnibus Religiosorum antiquissimis Ordinibus insitum sit manus sub scapulari tenere absconditas.

25. Januæ Monasterii, quibus ad interiora claustrum admittitur, ita Seraturus aptentur, ut non cuilibet sint perviæ, sed curent Guardiani, aut Superiores locales claves cõmunes fieri pro Fratribus. Clavis verò Januæ principalis Conventûs sit particularis, quæ maneat apud Ostiarium de die, de nocte apud Superiorem localem, ita quòd Janua semper maneat clausa, & nemo possit ad suam libertatem exire sine Ostiarii auxilio.

26. Nullus sæcularis admittatur ad pernoctandum in Monasteriis nostris, nisi personæ, quæ sub ingratitude, & impietatis nota excludi nequeunt, ut sunt alterius Ordinis Religiosi.

De Sanctimonialibus, & Honestate vitæ.
CAPITULUM UNDECIMUM.

§. I.

I. SAnctimonialium Sanctæ Claræ in Provincia nostra degentium salutis, honestati, & decori paternæ sollicitudinis studiò prospicientes, Statuta ~~Sanctimonialibus~~ de Monialibus quæ sub excommunicationis pœna per Leonem X. felicitis recordationis motu proprio, & ex certa scientia, & potestatis plenitudine lata sunt, denuò acceptamus, &

servanda singulis Monialibus sub obedientia mandamus; Abbatissis verò amplius sub officii privatione imponimus quatuor temporum feriis legenda.

2. Quoniam Oecumenicum Concilium Tridentinum eò Strictius, quò manifestius præcipit, ne quisquam cujuscumquè Sexûs aut conditionis vigore alicujus indulti, vel concedendi privilegii sub anathematis pœna ingrediatur Sanctimonialium clausuras, absquè Episcopi vel Superioris licentia, circumspiciant vigilanti oculo Abbatissæ, ne per inordinatam licentiam infamæ malum animæ, pœnasquè corporis suum gerant in caput.

3. Quòd si puellæ educationis gratiâ sint introducendæ, Statuimus, & maturè decernimus, ne sub officii jactura Abbatissis subeunda quæpiam earum admittatur citra Doctorum Catholicorum regulas subsequentes, videlicet:

1. Ut Conventus consueverit ante hujusmodi puellas intrmittere.

2. Non sint supra numerum præfixum.

3. Ut consensus Abbatissæ, omniumquè Monialium, ac superioris adsit licentia.

4. Ut existant in loco separato à dormitorio Monialium, & à loco ubi Moniales operibus manuum vacare consueverunt.

5. Ut vestitu honesto & virginibus conveniente utantur.

6. Ut ancillas secum non adducant.

7. Ut Monasteriò non egrediantur, & egressæ non amplius admittantur, nisi dum Moniales fieri volunt.

8. Ut quolibet semestri anticipatò solvatur portio pro alimentis.

9. Ut decenniò non sint minores, & ubi non est usus, non admittantur ad educationem.

4. Tandem quia juxta Innocentii IV. constitutionem Fratres in Monasteriis Monialium (etiam Ordinis Sanctæ Claræ) pro quarum servitio deputati sunt, in Spiritualibus duntaxat deservire, jurisdictioni autem & correctioni Ministrorum, & Guardianorum sicut & alii Fratres parere & obedire debeant, minus facere non potuimus, quàm omnibus Monialium, qualiumcumquè Confessariis sub pœna proprietarii, & suffragiorum privatione per sexennium inhibere, prout defacto sub pœnis dictis inhibemus, ne ullò modò, aut quovis prætextu, vel quæsito colore se in Monialium temporalia negotia intromittant.

tant. Pro eis quovis nomine debita exigendo, in iudicio petendo, possessiones locando, vitæ necessaria procurando, rationes recognoscendo, vinum, triticum, & his similia vendendo, emendo, aut commutando, agrorum aut vinearum curam habendo &c. nam licet Fratres per hæc nullum aquirant dominium, & proprietatem, assumunt tamen officium suo statui repugnans. Hic tamen non intendimus prohibere quò minus tales confessarii possint de licentia Superioris tam officialibus, quàm bonis Monialium attendere, fraudes, & pericula advetere, & intra humilitatis terminos earum debitores monere, rogando potiùs quàm exigendo.

De honestate vitæ.

§. II.

I. **C**UM secundùm Divi Hieronymi sententiam in carnis militia non nisi ex fuga victoriam reportemus, mirum non est, quòd Beatus Pater noster Sanctus Franciscus occasiones removeat peccatorum, & suspecta prohibeat consortia mulierum. Ideò suspectum consortium in Regula prohibitum damnamus, declarantes suspectum consortium non omninò consistere in actu, conversatione, aut colloquio, quod stimulum violentum ad tentationem carnalem causare solet, sed etiam in quocumquè istorum, quæ in mentibus præsentium causare possint suspicionem, aut scandalum, etiamsi mala intentione factum vel dictum non fuisset. Hoc autem conjicitur ex seperatione, loco, temporis importunitate nimia, & aliis accidentibus.

2. Si quis itaque de tali suspecto consortio notatus fuerit, primò charitative corrigatur, & admoneatur, quòd si se non emendaverit, si Superior sit, suspendatur, aut privetur officio juxta gravitatem causæ, si sit subditus, privetur actibus legitimis per triennium, aut in domo disciplinæ pane & aqua maceretur ad arbitrium Superioris.

3. Qui solitus fuerit à socio sequestrari, aut colloquium habere cum fœminis, unde rationabile iudicium de suspecto consortio possit exurgere, si monitus se non emendaverit, puniatur pœnis supra dictis, tanquam reus suspecti consortii.

4. Nullus audeat exorcizare fœminas sine licentia Ministri Provincialis cum consensu Diffinitorii in Scriptis: transgressor castigetur ad arbitrium Superioris.

5. Quæ Pius V. Pontifex Maximus de mulieribus ad Monasteria, Con-

Conventus, domos, & loca regularium non admittendis piissimè statuit, inviolatè servantur, & qui contra fecerit, ultra pœnas in ipsa constitutione Pontificia contentas carceribus mancipetur. Idem intelligimus de ædiculis, sive domunculis, seu hypocaustulis in quibus Confessarii Monialium commorari, vel earum confessiones excipere solent.

6. Quòd si quis votum castitatis (quod Deus avertat) violare, & templum Spiritus Sancti peccati carnalis admissione profanare reperi- tus fuerit, is ~~penet~~ ~~omni~~ ~~suffragi~~ ~~orum~~ ~~jure~~ ~~ad~~ ~~omne~~ ~~vitæ~~ ~~tempus~~ ~~privatus~~ ~~existat~~, quòd si id cum scan- dalo factum sit, etiam carceribus ad sexennium mancipetur.

*De salute animarum procuranda, & horum Statuto-
rum observantia.*

CAPITULUM DUODECIMUM.

§. I.

1. **I**Nter infideles & alios Saracenos ituris noster Seraphicus Pater legem & modum non præscripsisset, nisi magnum animarum Ze- lum, & ardentem salutis humanæ sitim de suis filiis & posteris expe- ctasset. Hac de causa suo nobis præluxit exemplo, dum ipsemet Sol- dani præsentiam multis cum periculis adivit, & alios ad Miramolini regnum destinavit, ut ita ipse orientalibus, illi occidentalibus popu- lis salutiferum Christi Evangelium prædicando, quasi totum ad Chri- stum converterent mundum.

2. Proinde si qui Fratrum habita facultate à Patre Ministro Pro- vinciali agendi de materia fidei cum hæreticis, quibus undequaque circumsepti sumus, notabilem eorum numerum DEO auxiliante con- verterint, benè meritorum Patrum titulò & prærogativâ gaudeant. Idem dicimus, si ad aliarum regionum hæreticos & Schismaticos habita præ- dicta facultate & consimili obtento fructu aliquibus ire contigerit.

3. Ad mensam aliquando legatur Auctor aliquis magis succinctus & clarus de controversiis fidei, de quibus fiant crebrò colloquutiones sive colloquia. Nec formidare debent Concionatores, quin è cathedra hanc controversiarum materiam fervidè, solidè tamen & sobriè tractent.

4. Confraternitatibus præficiatur aliquis à Patre Ministro Provin-
ciali

ciali ex maturioribus & Zelantioribus Patribus, qui eorum conversari-
oni, & augmentationi devotè & fideliter attendat. Is à Superiore lo-
cali non facilè impediatur, sed cum Socio exemplari, & oportuno è
Conventu dimittatur, quam diu sui fervoris, & Zeli sinceritatem
exemplaritate vitæ, præsertim sobrietate & abstinentiâ probaverit.

5. Confessarius qui requisitus ab aliqua persona Sacramentum pœ-
nitentiæ ei administrare recusaverit, disciplinam publicè faciat, & ad-
huc graviùs puniatur Superioris arbitratu.

6. Deniquè omnibus omnino Confessariis & Concionatoribus in
virtute sanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus, ut salutem anima-
rum non minùs, quàm officio Divino attendant; ideoquè si quis ad
eam procurandam idoneus apparuerit, & vel à Sacris peccatorum con-
fessionibus se subtraxerit, vel à Superiore ad ægrotorum & devoto-
rum consolationem deputatus frivolis excusationibus tergiversatus, is
tanquam servus malus, piger & inutilis à Superiore puniatur.

De horum Statutorum observatione.

§. II.

I. **D**eclaramus inprimis, quòd præsentis nostræ constitutiones, Or-
dinationes & Statuta ubicumquè pœna temporalis vel nulla
imponitur ad culpam coram DEO neminem adstringant, nisi quate-
nus ex lege Divina, vel Regula ipsa, vel ex Declarationibus Nicolai III.
& Clementis V. Fratres obligantur, aut contemptus accedat. Ubi-
cumquè autem formaliter præcipitur per obedientiam, aut censura
Ecclesiastica imponitur, ad culpam obligare intendimus, à qua lege
nullum Superiorem, ~~nisi à Superioribus~~ dispensare
posse statuimus, & determinamus.

2. Declaramus quoquè juxta Statuta Generalia, quando in Statutis
disponuntur pœnæ privationis, carceris, excommunicationis, Su-
sensionis, nolumus ad ea obligare Fratres, nisi scienter, & ex deli-
beratione deliquerint. Et ubi ipsò factò incurrenda imponitur, de-
cernimus in ejusmodi pœnam neminem incurrere, nisi post declara-
tionem à Prælato factam, quod dicimus etiam de excommunicatione
& suspensione, dummodò non sit ex summorum Pontificum Bullis.

3. ~~Statuta Provincialia, & more reformatorum accepta-~~
~~mus, in quantum à nobis observantur, & istis nostris Provincialibus,~~
~~quoad nationem & patriam nostram non repugnant. Quocirca si~~

~~quidem in his particulatibus Statutis ad regimen Fratrum, sive
justitiam administrandam, aut aliâ deficiatur, id ex prædictis Sta-
tutis Generalibus supplendum erit.~~

4. Ut autem tantæ ac tam consuetæ Statutorum multiplicationi finis tandem imponatur, Statuimus, quod imposterum in hac nostra Beatissimæ Virginis MARIÆ Provincia non fiant, vel admittantur alia Statuta, sive constitutiones istis repugnantes, ita ut hæc semper & in perpetuum immutata ac inviolata persistant, non obstantibus quibuscumquæ.

5. Nihilominus in Capitulis Provincialibus, & Congregationibus Capitularibus Ministri Provinciales de consensu totius Diffinitorii poterunt aliquas Ordinationes facere, hæc Statuta renovando, in memoriam vocare, maximè illa in quibus frequentius delinqui visitatio Provinciæ demonstraverit.

6. Deniquè obtestamur, ac per viscera JESU Christi hortamur omnes Superiores locales, ac sub pœna privationis officiorum præcipimus, & mandamus, ut accuratè, & diligenter attendant, ac in manu fori, & in brachio extento advigilent, quatenus hæc Statuta ordinata, & decreta, & authoritate Capituli Provincialis concinnata inviolabiliter observentur. Ne quis autem super his ignorantiam prætereundere possit, mandamus, ut unâ cum Declarationibus Nicolai III. & Clementis V. bis in anno tempore supra determinato publicè ad mentem perlegantur. Quòd si Superiores locales hæc salutaria sancita ipsimet omni Zelo & conatu non observaverint, ac in vindicandis seu puniendis transgressionibus notabiliter, & repetitis vicibus fuerint negligentes, sciant se ab omnibus officiis Ordinis destituendos, & nullatenus imposterum officio Guardianatus fungi posse, utpote ineptos & inhabiles ad similia munia obeunda.

7. Fratres verò subditos pariter hortamur, ac per eadem viscera JESU Christi obtestamur, ut non ex formidine pœnæ, sed ex virtutis amore, ac regularis observantiæ Zelo istis Statutis & Ordinationibus Spontè, & voluntariè se se accomodent; siquidem hæc sanè nostra non sunt, sed ea sunt, quæ in toto ordine nostro, & hac præcipuè Provincia toties sunt sancita, toties decreta, toties repetita, ea sunt, quæ Sancti Patres, & Sacrorum Ordinum Fundatores inclyti suis semper præscripserunt, & tradiderunt discipulis, ea sunt deniquè, quæ decent tanti Patris discipulos & filios, in quibus non potest elucescere tanta sanctitas, tanta morum gravitas, tanta vitæ austeritas, quanta

non sit requisita à Seraphici Patris affectis. Credant, & sibi persuasum habeant in exemplaritate morum, & exercitio virtutum consistere felicitatem vitæ præsentis pariter & futuræ. Hæc enim vos filios DEI faciunt, & illi perfectè uniunt per gratiam in præsentem, & per gloriam in futuro. Concludamus itaque cum Paulo Apostolo: *Fratres nostri charissimi, gaudium & corona nostra, sic stete in Domino charissimi.* Agite quod Franciscanum, & Seraphicum est, Zelantes honorem DEI, salutem vestram, ac aliorum, & decorem Ordinis, ut quem DEUS aliàs sibi, & mundo commendabilem fecit, vos luce bonorum operum magis, magisque splendescere faciatis, gratia Domini Nostri Jesu Christi, & charitas DEI, & communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus Vobis. Amen.

- Fr. Michæel Terperics Præsidens Simontorniensis.
- Fr. Christophorus Schieffer Præsidens Albenfis.
- Fr. Hyacinthus Kleinhans Præsidens Stigoniensis.
- Fr. Leo Orehovszki Guardianus S. Ladislai.
- Fr. Crescentius Pauer Guardianus S. montis Calvariaræ.
- Fr. Sebastianus Hojni Guardianus Strigoniensis.
- Fr. Antonius Szunyogh Guardianus Pestiensis.
- Fr. Zacharias Puztay Guardianus Comaromiensis.
- Fr. Michael Gombos Guardianus Papensis.
- Fr. Severinus Podhrágyai Guardianus S. Antonii.
- Fr. Gabriel Gajan Guardianus Malaczkenfis.
- Fr. Henricus Klikovics Guardianus Nemetujvariensis.
- Fr. Arsenius Kófsler Guardianus Ersekujvariensis.
- Fr. Benignus Kaffai Guardianus Sabariensis.
- Fr. Franciscus Kelecsény Guardianus Nitriensis.
- Fr. Athanasius Weninger Guardianus Kismartoniensis.
- Fr. Blasius Miartan Guardianus Cathariniensis.
- Fr. Nicolaus Baráth Guardianus Jauriniensis.
- Fr. Berardus Imre Guardianus Soproniensis.
- Fr. Florianus Ozoli Diffinitor habitualis & Guardianus Tyrnaviensis.
- Fr. Hieronymus Lukasz Custos habitualis, & Guardianus Pofoniensis.
- Fr. Mathias Thum ex-Diffinitor & Præsidens Kesztheliensis.

- Fr. Casparus Vuketics ex-Diffinitor.
Fr. Ludovicus Purman ex-Diffinitor.
Fr. Josephus Boyger ex-Diffinitor & Præsidents Budensis.
Fr. Casparus Szente ex-Custos & Præsidents Wesprimiensis.
Fr. Petrus Heineger Diffinitor.
Fr. Demetrius Heim ex-Guardianus Pratenfis, Diffinitor & Secretarius.
Fr. Marianus Ujfalusy Ex-Guardianus Andaciensis Diffinitor.
Fr. Ægidius Kis ex-Guardianus Sümeghiensis Diffinitor.
Fr. Sebastianus Pankl Custos.
Fr. Antonius Posonyi Provinciæ Pater.
Fr. Bernardinus Ramochahazy Provinciæ Pater.
Fr. Joannes Capistranus Sebach iteratò ex-Minister.
Fr. Andreas Pordanyi iteratò Minister Provincialis actualis.

L. S.

PRæsentes Municipales Constitutiones
ab universis hujus Almæ Provinciæ Pa-
tribus vocalibus Capitulariter congregatis,
& Emeritis Provinciæ Patribus coram me
compilatas, acceptatas & subscriptas, quan-
tum in me est, approbo & confirmo, eas-
què accedente Reverendissimi Patris Vice-
Commissarii ~~Facultate~~ Facultate Typis man-
dari posse, judico. Datum Posonii ad Di-
vam Virginem annunciatam die 23. Junii
1730.



Fr. SIGISMUNDUS SKERPIN,
Commissarius Visitator ~~Commissarius~~
~~Commissarius~~, Capituli Præses.

Sequitur Decretum horum Statutorum Confirmativum.

Fr. Crescentius Krisper, Strictioris Observantiæ

S. P. N. Francisci Lector Emeritus, Scriptor Ordinis, &

in hac Cismontana Familia Commissarius

~~_____~~ & Servus.

Religionis nostræ Seraphicæ regimini Divinâ providentiâ præpositi, quæcumquæ ad uberiores bonorum operum fructus promovendos opportuna esse noverimus, pro nostri muneris debito promovere tenemur. Cùm igitur nostræ Reformatæ Provinciæ Hungariæ MARIANÆ Patres, per Supplicationes nobis expositas, quorundam Statutorum municipalium confirmationem postulaverint, quæ in parvo libro typis impresso continentur, cujus titulus: *Statuta, Constitutiones, & Decreta Provinciæ S. Mariæ Hungariæ Ordinis Minorum Strictioris observantiæ ab omnibus Patribus Diffinitorii ac Provinciæ, nec non Guardianis, Presidentibus in Capitulo Provinciali Posonii legitime congregatis die XVIII. Junii hujus anni M. D. CC. XXX. Sub assistentiâ Reverendi Patris Commissarii Visitatoris, & præsidis Patris Sigismundi Skerpin, examinata, correctâ, & unanimiter acceptata: Ipsaquæ Statuta, seu Decreta per Theologos à nobis deputatos diligenter revisa, secundum eorum attestationem nihil contrarium, aut nostræ reformationi dissonum; imò omnia regulæ, quam professi sumus, ac expositioni summorum Pontificum, præcipuè Nicolai Tertii, ac Clementis Quinti conformia, ad ipsiusquæ regulæ observantiam conducentia præferant. Nos eorundem justis, ac Zelo plenius petitionibus annuere volentes, præfata Statuta, Decreta, ac constitutiones, vigore præsentium approbamus, ac confirmamus, illisquæ quantum in nobis est, firmitatis robur adjicimus: annullantes, & abrogantes quæcumquæ alia decreta municipalia hisce contraria, quæ sic abrogata, cassata, ac annullata impostero nostra authoritate esse volumus, & mandamus. Præcipientes insuper omnibus & singulis, tam Superioribus, quàm subditis ejusdem Provinciæ, ut omnia, & singula in præfato parvo libro inserta exactè observent, ac observari procurent, sub poenis inibi contentis, ac respectivè taxatis. Datum Romæ ex Ara cæli 10. Novembris 1730.*

Fr. Crescentius Krisper

Commissarius ~~_____~~.

(L.S.)

~~_____ Reverendi Patris~~

Fr. Gaudentius à Genua Secretarius ~~_____~~.